


# ΑΠΟΤΡΙΒΗ
Virulentæ & atrocis

# CALUMNIÆ

*QUA ARNGRIMUM JONAM Islandum W. hoſtes quidam in patria clandeſtini, non tantùm aggravare, ſed tanquam ariete & fulmine bellico, BONÆ FAMÆ præſidio ceu arce, dejicere, infeliciter conati ſunt;*

AB EODEM
confecta.



HAMBURGI,
*In Officinâ Typographicâ, Johannis Moſ...*
ANNO M. DC. XXII.

Esai. 33.

*Concipietis fœnum: & parietis stipulam.*

Psal. 7.

*Ecce parturit iniquitatem: Concepit dolorem & pariet mendacium.*

Lutheri versio.

Siehe: der hat böses im Sinn/ Mit vnglück ist er schwanger: Er wird aber einen feil geberen.

Eob. Hessi Paraphrasis.

*En tamen ipse animo, mala plurima cogitat hostis,*
*Ingentes misero cogitat ille dolos.*
*Parturit iste quidem, fœtum pariturus inanem,*
*Aut si quid vano vanius esse potest.*



APOTRIBE
# CALUMNIÆ,

QVotiescunque, ò mei Lectores, si qui eritis, & quotquot obtigeritis, humanissimi; Quotiescunque inquam, post ipsum filium DEI ejusdemque Prophetas & Apostolos, nec non horū in vinea Jesu Christi fideles parastatas; etiam paganorum de ingratis benè meritorum exempla cogito (cogito autem sæpiuscule) toties ego meorum quorundam in patria æmulorum, variis technis NUMINI meo & FAMÆ imminentium, proterviam flocci pendere adducor: Verùm ita; ut, quamquam vindictam non meditor; tamen FAMÆ rationem habendam, & nomen VIRI BONI, quantum propitio Numine liceat, jure optimo tuendum statuam. Neque verò id mihi quisquam paulò æquior, vitio vertet: Qui legitimam, famæ, vitæ, bonorum denique defensionem; atque injuriarū his intentarū aliqualem propulsationem, omnibus ætatibus & ubique etiam gentium, admissam & permissam animadvertet.

*Exordium occupation constans. Ferendæ qu. sunt injuriæ, sed interim fama vindicanda.*

*1. Ratio: à more & consuetudine recepta.*

Etsi verò non ignorem, multa, & manifesta & præclara, in utraque Schola, Theol scilicet & philosophicâ, ad nobilissimam illam, animi generosioris virtutem, Patientiæ nomine signatam, ...are præcepta: tamen per ea non stare credimus, quin vel vitæ, vel famæ, vel fortunis illata aut objecta, injustè ac violenter, damna, & pericula, honestâ quacunq; via ac ratione arceamus;

præsertim, ubi Vindicatio, seu defensio, non vindicta, sive ultio, soli Deo relinquenda, quæritur. Etenim quid famâ & nomine integro, potest in rebus Mortalium esse vel haberi pretiosius? vel ipso suffragante, Mortalium, his verbis, sapientissimo. Melius est nomen bonū divitiis multis: super aurum & argentū GRATIA. Itemq; Melius est nomen bonum unguento pretiosissimo. In quam sententiam, etiam alius, ejusdem notæ Sapiens. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis perdurabit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni. Bonæ vitæ dierum numerus est: Bonum autem nomen perdurat in æternum. Et sane, quanti fama sit, innuit Psaltes Regius; dum nomen & memoriam perennem, perennis beneficii loco, justis proponit. Quin & Sapientes paganos non aliter de fama judicasse, Plautina illa vox indicio est:

Ego, si famam bonam servasso, sat ero dives. Itidem etiam alia, servi illius Plautini, supra servum sapientis, quâ se BONUM, quam BEATUM, dici malle, innuit. Nec dissentit Plutarch. in Moral. Famæ curam omnibus hoc modo commendans. Ut Deliacum navigium, ait, dum subinde reficitur & reconcinnatur, velut perpetuū in multa secula redditur: Ita famæ semper adjiciendum, ne collabatur, &c. Quod si adjiciendū? Omninò, quantulumcunq; est famæ, totis viribus tuendum & honestè propugnandum fuerit. Nec etiam inscite Pontanus; Famæ nimium securos & negligentes, uxorum & filiarum stuprum, susq; deq; habentibus, comparavit. Quo etiam illud Div. Chrysostomi, ritè applicuero: Proditor, inquit, est Veritatis, qui non liberè pronunciat; aut non sufficienter defendit eam, &c. Sic mihi, bonæ famæ nimium negligens, proditor ejus habebitur.

Duplex autem quum sit famæ cura; Una adversus pro-

Ratio a te... monio P... ... : per ... idel cet ... man
Prov. 22
Eccl. 7.
...
...al. ...
Mostell.
...ontan. ... comp... ra...
...o.
...p. Matt.

propria vitia & turpitudines, quibus infamia contrahitur: Altera contra externas & alienas injurias (puta mendacia & calumnias) quibus fama, alioqui integra, ab nimium hoc ævo, læditur; utraq; viro bono pariter incumbit, licet illa primariò, hæc secundariò: uti usitatè loquuntur. itaque:

——— tanti mihi non sit opaci
Omnis arena Tagi ——— quanti sc. nominis & famæ integritas. Nam
——— infamis vilior alga est.

Et verò, quid multis? Anne jura etiam Civilia, ex Naturali æquitate deprompta, Famam vitæ; illiusque damna, hujus jacturæ, æquiparant? Quid? quod Siracidæ illa, superius adducta censura, de impari utriusq; Vitæ & Famæ periodo, aliquanto plus famæ tribuere videtur. Unde etiam reperias, qui vitæ quam famæ fuerint prodigaliores. Quapropter, si vitæ & saluti propriæ tutelam debemus, etiam famæ debitores sumus. 1 L. [illegible] 9 N. [illegible]

Quid autem & quantum vitæ debeamus propriæ, doceat nō modò lex rata Naturæ, omnibus eadem gentibus ab ipsa origine insculpta; sed insuper etiam cælestis juris & summi Imperatoris instituta: Quibus ad alienam quoq;, tum vitam, tum famam conservandam (quę cura, nullum dubium est, quin adversus calumnias, mendacia, & suspiciones dirigatur) obligati sumus. Quod si id aliis debemus, quid nobis? neque enim alienæ vitæ aut famæ defensio, supra curam vel defensionem nostri ascendit: quod notissimum. *Lex n* [illegible] *re D.* [illegible] *fir-* [illegible] *meta.*

*Cæterum famæ ac nominis defensionem quid tantopere urgeo? Etenim sanctum illud, quo Dei nutu & nomine fungor, ministerium, ad hanc ipsam Apologiam me adigit. Nam si is sim, quem hostium depingunt Calumniæ non modò sacro, sed omni*

*mni omnino ministerio & officio honesto, ineptus & indignus forem. Ne igitur per meum silentium, aliqua ad sacrum ministerium injuria redundaret, pagellas hasce, in publicum edendas, arbitratus sum.*

Sin vero adhuc quispiam, Oratiunculam hanc apologeticam, aut prorsus omittendam, aut certe differendam fuisse, omninò censeat; Ego cur intermittenda non sit, jam dixi. Cur vero minus differenda; respondebit fati mortalis vicissitudo incertissima. Etenim, si indefensum mori contigerit, quis defuncti, contra giganteas istas animas & ingenia, calumniis dedita, linguamq; petulcam, promachum aget? Quid in cinere ἀναπολογήτους, non audebunt, quibus vivum enormiter lædere, atrociter lacessere, nullus pudor, nulla dubitatio, relligio nulla est?

Hæc necessario præfanda erant; ne rem illicitam vel impermissam, hoc apegoremate tentari, quisquam rerum ignarus, criminetur. Ista vero altius hic repetere; atque exemplis & sancitis, tum Divinis, tum humanis, prolixius confirmare, declamationum studioso, promptum foret: non itidem mihi; otio tum scribentis, tum legentis, consulturo.

*Propositio generalis & ejectio, non dicendorum.*

Ut igitur sine longiore proœmio, quod decrevi, aggrediar; dicendum mihi hic est, contra funestam & atrocem quandam injuriam, à popularibus quibusdam meis acceptam, quam nec tacendo præterire; nec connivendo dissimulare, mihi integrum: quippe quæ famam meam (quâ, juxta ea quæ hactenus attigi; juxta etiam nobilem poëtam, semel amissa, postea nullus ero,) & nomen, inter honestos honestum, hactenus Dei beneficio, integrè conservata, hostiliter petat.

Alioqui vero & plures sunt, & satis graves devorandæ

randæ nobis, adverſariorum inimicitiæ, plures & varii æmulorum morſus, ſugillationes, cavilli, vellicationes; *Pſal. 56.* ut cum Davide, queri (meo modulo) poſſe videar. Abſorbere voluerunt me inimici mei, tota die belligerantur ſuperbè adverſum me, tota die verba mea calumniantur: adverſum me omnes cogitationes eorum, &c Non eſt in ore ipſorum veritas: internum ipſorum malitia eſt; ſepulcrum patens, &c. *5.* Linguis ſuis doloſè agunt, &c. Derident & loquuntur nequitiam: Calumniam è ſublimi locuti ſunt. *3.* Poſuerunt in cælum os ſuum: & lingua eorum tranſivit in terra, &c. Et cum Jeremia; D. Luthero interprete. Du ſiheſt alle jhre Rache: vnd alle jre Gedancken wider mich: Die Lippen meiner widerwertigen/ *Thren. 3.* vnd jr Tichten wider mich täglich. Schaw doch: Sie legen ſich nieder/oder ſtehen auff: So ſingen ſie von mir ein Liedlein/ꝛc:

Quæ quamvis ita ſint; reliquis injuriis tamen, & calumniis ſpretis, de unica ſaltem, ut famæ potiſſ. infeſta, ſermo hic inſtituetur. Neque etiam niſi aucta hoſtium inſolentia & inſultibus, manum tabulæ admoviſſem: Jam coactè litiganti, venia dabitur.

*Diſtributio bimembris.* Ne vero aut nimium diffluat oratio; aut mens nimis exulcerata, ſui minus compos, incerto tramite vagetur; certis utranque metis, ut cancellis coërcebo: Deſcribamque priore loco, & quoad ejus hoc genere apologiæ præſtari poterit, deſcriptam propulſabo illam, de qua hic conquerimur, injuriam. Sive ipſum maleficium, ſuis morbidis depictum coloribus, Lectorum oculis ſubjiciam: Poſteriore loco, cum ipſis maleficis ſeu maleficii autoribus, actio erit. Ubi ſi quædam de Calumniæ vitio generaliter aſſumantur, nihil huic partitioni derogabit.

Quibus accuratè perſpectis, ſpero hujus apologematis,

matis, sive auditorem, sive lectorem non prorsus iniquum, de mea innocentia, rectius quam pro æmulorum voto, persuasum iri: ita ut, hostibus exceptis, vel quovis judice contentus esse posim.

*. Membrum Orationis: Narratione hoc est injuriæ definitione, & inde confutatione absolvendū.*

Illa igitur hostium injuria (sive maleficum) quæ nunc dicendi materia obtigit, funesta est funestorum ingeniorum CALUMNIA, quâ me erga venerandum senem, Dn. Gudbrandum Thorlacium, Islandiæ Borealis Superintendentem reverendum Dominum, & fautorem meum, summo ubique amore & observantia colendum, cùm alias, mala fide usum; tum præcipuè Anno 1618. & paulò superioribus, Dignati ipsius & muneri Ecclesiastico (quo fungitur) dolo malo insidiatum esse, hostes quidam è popularibus meis, clandestini, coram & ingenuè vel apertè accusare veriti, occultè criminantur: Illudque hoc fine attentasse, ut Dn. Gudbrando, statione illa Ecclesiastica submoto, ego succederem: Adque id quidem ipsum, tum per literas in Dania, superioribus Annis quæsivisse, tum verò prædicto Anno 1618. cum D Dn. Commissariis Regiis, ad componendas causas forenses & Ecclesiasticas, in Islandiam legatis, egisse.

*Quid calumnia? I. Lipsius. In 28. ca. Siraciae.*

Maleficium & mendacium ejusmodi, Calumniam appello; non tam strictè, ut fit interdum à jureconsultis, voce accepta: sed usitato loquentium & scribentium more: Quo definitur Calumnia, occulta læsio imminutioq; alterius, in sermone aut scripto, fraude mixta & mendacio. Vel ut eam clariss. David Chytr. alicubi fusius describit: Calumnia est, qua de absentibus, falsa crimina & suspiciones, clanculum feruntur; & rectè vel certè excusabiliter facta & dicta, malitiose depravantur: & hoc artificio alienatis & disjunctis hominum animis alicu-

alicujus FAMÆ, vitæ & bonis, insidiæ struuntur.

*I. Confutationis Argumenti, ab indignitate objecti sceleris: Unde Calumniæ atrocitas brevi digressiuncula ostenditur.*

Istud porrò tantum scelus, hic mihi ab æmulis objectum, judicent boni & cordati, an in hominem (aliquà saltem virtute tinctum) paganum (nedum Christianum) cadere posit? nisi quis Absolonis, Regno patrem ejicientis; vel Iscariotæ, Dominum suum prodentis (paganis hac parte deteriorum) agendas sibi partes & vicem obeundam sumpserit.

*Calumniæ hujus ortus & progenitores. Vid. Cic. de Nat. Deor:*

Hem! funestam & crudelem injuriam; Calumniam virulentam, vipeream progeniem: Cujus ortum & progenitores, si quis exactùis requirat, deprehendet Nocte (Mendaces namque ut fures, sunt lucifugæ) ac Erebo, velut majoribus, Livore & Invidia, ceu parentibus, natam? vitiis ædepol, spiritibus tenebrarum familiarissimis. Ingenia porrò malevolorum, hisce oportuna, susceptorum, quos patrinos alii vocant, munere defuncta, fætui calumnioso, in lucem edendo, nomen excogitarunt; ut esset CRIMEN PERFIDIÆ ac PRODITIONIS erga Dn. Gudbrandum: Nutriculæ autem hujus strigis extiterunt Calumniatorum mancipia & gnatones, parasitastri, stolidi, fungi, bardi: vel in ipsum cœlum, ~~Domino~~ Dominorum gratia, incompetentia promere, nihil cunctati: quorum uberibus monstrum hoc teterrimum CALUMNIA, Livoris & Invidiæ filia, Erebi neptis, alitur & egregiè lactatur.

*II. Confutationis Argumentum, à Comparatis paribus.*

Verùm allegoriis sepositis; talis illa est, ut dictum, hostium Calumnia, qua me pessundare, Deoque & hominibus invisum & exosum; Deumque (quod in ipsis est) & homines, mihi infestos reddere conati sunt: quâ nescio quid fingi posit crudelius. Nam parricidii si me

reum agerent, vix magis nefarius forem. Certè proditio ejusmodi, erga Dominum & fautorem suum, quarta Decalogi, omnibus sacrum, designata, Parricidii quædam species est, & quintâ lege ejusdem tenetur. Quæ LL. ita conjunctæ, crimen ab hostibus objectum, parricidium omninò definiunt. Quis autem nisi perditissimus & insanissimus, parricidio voluntario se polluat? Quare jam istius proditionis si convincar (CONVINCAR, ajo, & non saltem venenatis hostium linguis insimuler) ipse me, ἀναπολόγητος ὡς αὐτοκατάκριτος, parricidii reum sistam. Esto enim vitam ipsam Dn. Gudbrandi, proditio ejusmodi non tangat; at proditio famæ, minoris non est: iis præsertim, quibus hæc vitâ ipsa potior est. Neque vero fama integrâ, vir ille, officio & beneficio Ecclesiastico, cui annos jam plus minus 50. præest, submovendus fuisset.

*III. Confutationis Argumentum, à negato fine.*

Apud Historicos meritò pessimè audiunt; Darius consilium de patre Rege tollendo agitans: cui tamen à patre, Regnum ante tempus indultum fuerat: Nec non Phraates patrem Orodum interficiens: Etiam ille Mitridatis, Ponti R. filius, qui ut Pompeji amicitia frueretur, Patri bellum intulit: Tum Henricus V. patrem Henricus (juxta Historicos) carcere macerans. Et in pari delicto, Ludovici Pii, minus pii filii, Parenti suo à Carceris squalore non parcentes. Qui pariter, nefariæ astorgiæ socium adsciscunt Alphonsum I. Lusitaniæ R. qui matrem Tiresiam, à secundis nuptiis, vinclis coërcuisse refertur: Nec non Fr. Actium, parentem tum ob inductam novercam, tum libidine dominandi, carcere ulciscentem: Quorum numero haut expungi rencuit, L. Ostilius, patrem à Triumviris proscriptum prodens,

dens, quò optata hæreditate citius potiretur. Nec in hoc albo omittendus, Theodatus, Amaſuntham Gotorum Reginam ſtrangulans, à quà prius Regni conſors factus fuerat: ut nec Michaël Traulius, Alexius, Michaël Calaphantes: & quis omnes enumeret?

Verùm hi omnes ac ſinguli, & quotquot publicæ vel privatæ ſortis, in hunc cenſum veniunt, omnes in quam iſti, facinori ſuo finem certum, quantumvis impium & injuſtum, propoſitum habuerunt (unde nec ſuperius memoratos, Abſolonem aut Iſcariotham exceperis) alii quidem Regnum & dominium, alii hæreditates amplas ac opes: voluptates alii: alii magnificas amicitias: alii præmia alia atque alia. Ego verò, ſi horum peſsimo & nequiſsimo exemplo, in Gudbrandi famam, Dignitatem & vitæ ſubſidia, aliquid indignius tentaſſem, nulla tamen, nulla prorſus eorundem, vel alicujus ſaltem apparenter boni, potiundi ſpe duci poteram; ut amentes amenter fingunt, & ſtudioſè ſed non artificioſè, æmuli mentiuntur.

Primum enim non eſt præbendæ hujus Eccleſiaſticæ acceſsio hæreditaria; ut ea vacante, hæredum Dn. Gudbrandi aliquis, in eam ſuccedat. Nec, ſi maximè eſſet; in hæredum ejuſdem numero, ego ſum. Nec etiam ſortibus ad munus hoc Eccleſiaſticum hodie itur: ſi quis à ſortibus fortaſſe, ut fit, magni aliquid ſibi polliceatur. Longè vero minus per favitores (ut Plautino more appellentur) aut alioqui gradibus aureis vel argenteis, eodem aſcenditur; ut æmuli fortean ſomniant! ad ejus nempe praxeos modum, quà in ſecularibus acquirendis, nonnullis & nonnullibi uti, in more fuerat. Nihil inquam tale boni æmuli, ſibi hic

imaginentur. Sed secundùm Deum Opt. Max. de sua in primis sollicitum vinea, munia Ecclesiastica hujusmodi, ad Sereniss. Reg. Majestatis nutum & voluntatem augustam, de ejusdem ampliss. & prudentissimorum consiliariorum sententia incorruptissima, illa dispensantur & erogantur: non sanè ampliore habentium fœnore, quâm difficultate & Onere. Vocantur siquidem omnes Ecclesiarum ministri, non in aulam Magnatum ad voluptatem; sed in naviculam Petri, immò, Christi, atque ad experiendum tempestatem. Id quod á sanis omnibus, quam ab insanis æmulis & detractoribus meis, correctiore lance perpenditur. Quæ quum ita sint & sese habeant, manifestum evadit cuivis, quemadmodum de me hostes, non è re nata (quod dicitur) seu ex præsenti & bene constituto rerum statu judicent: sed ex suo tantum, meum animum metiantur & æstiment ingenio: vel saltem eorum, quibus de dignitatibus & præfecturis secularibus, variis artibus certare, solenne est.

*IV. Confutat: Argumentum, à pessimis adjunctis, ejus, qui objicitur ausus*

Vah! Quanta foret impietas & quàm æterno probro conjuncta, quisquis in ordinem & dignitatem Ecclesiasticam, sese ingerere & malis artibus intrudere tentet? Qui vel eo ipso, non solùm nil, nisi malæ conscientiæ stimulos acquireret, sed insuper repulsam ferret, & perpetuam ignominiam auferret. Ast nihilominus parum cunctati hostes, ejusmodi me impietati deditum, ejus & repulsæ studiosum & ignominiæ cupidum faciunt: dum optimi Viri Dn. Gudbrandi Therlacii famæ, honori, æstimationi proditoriè insidiantem, vitæque subsidiis inhiantem sceleratè fingunt: Juxta etiam omnis me, non modò virtutis expertem; sed & omnium, Divinarum humanarumque rerum scientiæ rudem & igna-

ignarum ac simul contemptorem, æmuli decernunt: ut nec saltem illud Plautinum in triviis decantatum tenuerim: Virtute ambire oportet, non favitoribus, &c. Aut illud Ciceronis, memoria perpetua dignissimum: Is est « amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem: Nec Salustium attenderim: qui malos hoc nomine notat, quod ubi bonæ artes desint, dolis & fallaciis ad honores contendant.

Multò vero minus consultissimum Siraciden auscultasse vel inspexisse statuunt: quem isti tamen, me prælegente, auscultare, ne graventur, moneo: Erit enim fortasse, quo hinc informentur, ut de rebus tantis rectius judicare discant. Demissum, inquit Divinus scriptor, te geras: humilibus te accommoda. Ne ambias subinde conditionem Splendidiorem? & ne cogitaveris ultra vires tuas. Quod Deus tibi injunxit, in hoc sedulò incumbe [utinam æmuli omnes id mecum attendatis] Non enim proderit tibi, si ad ea anheles, quæ Deus non injunxit [an fit verisimile, mei traductores delicatuli?] Quod tuæ vocationis non est, ne captes curiosè: Nam si attendas, amplius tibi injunctum est, quam exequi possis [fidem vestram, ô præfecturis binis & ternis onusti; an etiam ista, ad vestrum palatum? aut quæ sequuntur etiam? scio: nihil minus] Noli te OBTRUDERE ad munera publica coram Deo: nec AMBITO, ut sis potens apud Regem: noli cupidè AMBIRE MAGISTRATUM, &c. Qui cum illud Salomonis quadrat. Ne arroges tibi decorem apud Regem: & in loco magnatum ne stato.

*Siracid. Cap. 3 ex translatione Iusti Ionæ.*

*Cap 7, ejusdem Siracidæ.*

*Prov. 25.*

His & similibus aut ignoratis turpiter, aut fraudulenter

lenter dissimulatis, aut deniq; cyclopico ausu contemptis, ecquem tandem hominem æmuli depingunt? An qualem Platina, Papatus ambitionem sui seculi notans, cum ait: Eò Papatus devenerat, ut qui largitione & ambitione valeret, is solus Dignitatis gradum, bonis oppressis, obtineret: ut Hildebrandus, quum nemo esset, qui eum ad cathedram Petri sublevaret, ipse ascendit, &c. Sed hoc ero ego, istorum nutu, Hildebrando deterior; quod is vacantem forte Petri sedem occupavit: Ego per dolum & proditionem, ut mihi Dn Gudbrandi sedes occupanda vacaret, operam navâsse, æmulis meis perhibeor.

*Quartæ confutationis digreßio: atq; injuriæ hostilis à variis Comparatis exaggeratio.*

Deum immortalem! Quænam est, si non hæc injuria est? Vitam mucrone si peterent meam; aut resisterem; aut si minus, unà & semel occumberem. Tam crudeli verò calumnia continuè mori me cogunt, nisi quâ Deo & conscientia mihi propitiis, ipsum me sustento. Beatus enim quem non vexat animus sibi malè conscius; & qui conscientia rectè facti non excidit, ut dudum Divinus iterum pronunciavit Ethicus. Siracid. 13.

In hostium hac injuria, quum varia sit & perplexa maleficii ratio: tum illud cum primis malè habet: Quod non facto de veritate periculo & criminis examine, coram judice, vel alioqui viris probis & honesti ordinis instituto, causam dicere jubear. Non sanè huc hostium consilia vergunt: non in apricum cum sua calumniâ prodeunt: non apertè accusant vel dicam scribunt: nec coram, vel tantillum objiciunt; veriti, ne facta palam respondendi copia, in autorum capite, calumniæ hujus faba cudatur. Morsibus igitur & sugillationibus clancularis omnia agunt: atque in calumnia operta, quam accu-

accuſatione & actione aperta, plus ſpei ſibi ſitum animadvertunt: Mihi vero eandem amoliri, tanto eſſe difficilius, quantò probationes actoribus jure incumbentes, fruſtra magis exiguntur.

Videas porrò calumniam, antiquum hic obtinentem: cujus indolem à baſiliſcorum natura, Hieroglyphicorum ille celeberrimus indagator, Joh. Pierius, deſcripturus; primum ex Horo Niliaco affert: Uni ex univerſo colubrorum grege, Baſiliſco, tantam vim eſſe venificam, ut animalia reliqua ſolo ſibilo fuget: quo audito, etiam omnium avium cantus coërceatur: frutices & herbæ, ſolo afflatu, aſpectuvè enecentur. Deinde addit Pier. Non aliâ ratione (quam baſiliſcus ſcilicet) inquit, calumniatores homines conficiunt: Clam ſiquidem illi, aliorum (principum ait ipſe) auribus inſuſurrant; nullo PALAM morſu infixo; Quò diluendi anſa præripiatur: Atque ita falsò delati, plerique extrema quæque pertulere. Hæc ille. Nec de nihilo eſt, quod venenum aſpidum calumniatorum Linguis, ſacra aſſignent oracula. Sed nos peſtilenti reprimendæ Calumniæ inſiſtamus.

*Hieroglyph. Lib. 14.*

*Pſal. 140.*

Nam quemadmodum ipſe ego ſpe nulla ſucceſsionis (ut ſuperius paulò fuerat) aut ullius alioquî commodi, ad me reduntaturi, ad infandum contra Dn. Gudbrandum ſcelus patrandum, impelli vel adduci potuiſſem; ita pœnarum metu, (quia non virtute; juxta æmulos) ab eodem neceſſariò abſterritus fuiſſem. Etenim, ut proditores & parricidæ, ad tempus optato fine potiantur; illud tamen nec diuturnum eſt; nec ſine domeſtico hoſte, mentem ſceleratam, nullis non ſtimulis, ac ſentibus, æternorum cruciatuum prodromis, animum cor-

*V. Confut. Argumentũ ab adjunctis proditionis crimini pœnis.*

cordisque fibras laniante. Abſolonis ſaltem regnum, vel Iſchariothæ argenteos intueamur; ne longius per ejusmodi exempla eatur: tum viciſsim hujus laqueum, & illius de arbore ſuſpenſi ac tribus miſsilibus tranfixi, exitum. Sic iis quos à flagitio ipſa non revocat virtus, vitiis deputata frenos plærumq; injiciunt præmia. Quod qui non expendit, ipſo ſit Tireſiâ, & talpâ ipſa cæcior, truncoque inſenſatus magis neceſſum eſt. Æmulos ſi maximè lateat; Ego tamen ſcio, fædum ingratitudinis vitium (cujusmodi eſt illud, quo hîc me hoſtes gravant impudentiſsimi) & cum ipſa pugnare Natura: cujus vox eſt: Gratiam pro beneficio referendam; & ſocietati hominum maximè adverſari. Unde Græci (licet eorum nonnulli aliâs in optimos cives ingratiſsimi) extremis ſuppliciis contra ingratos procedendum, lege ſtatuerunt. Et nota eſt Romanorum, contra ingratos liberos, culeo inſuendos, ſeveritas. Alumni porrò & clientes, quantum ad gratitudinis debitum, quid à liberis differunt? Nihil itaq; hominis reliquum habere videntur, quos ingratitudini, nedum proditioni, divinitus inflictæ, & humanitus ſtatutæ pænæ, a ſcelere non compeſcuerint. Nec jam ſcilicet aliud, ad hoſtilis virulentiæ ἀκμὴν reſtabat, quam ut Delatorum meorum probo, infra beſtias abjicerer. Nam (ut jam cinoniarum ἀντιπελαργίαν nullis non ſcriptoribus decantatam taceamus) ſi Aquilæ, meſſoris ope a Draconis violentiâ liberatæ: ſi alterius itidem, à virgine quadam educatæ: Si Leonis in conſpectu populi Rom. Androdo cuidam, ſervo fugitivo ac ad beſtias damnato, ſalutem reddentis: horum inquam & ſimilium, ſi gratiam relatam cogitemus; quo tandem loco, fautorum habendi ſunt proditores?

*Nova injuriæ exaggeratio, ab indignitate objecti criminis.*

*Plin.*

*Pier. ex Ariſtoph. &c.*

Et

Et verò quæ mala mens: quis malus & perditissimus genius: quæ furiæ infernales eò me impellerent, ut ejus modi aliquid, ne dum hoc ipsum, quo mihi sempiternam ignominiæ maculam aspergere: & omnium simul vitiorum (nam ingratum dixeris; nedum proditorem; & omnia mala dixeris: vetus verbum est) stigma inurere, hostes satagunt, in Dn. Gudbrandum Thorlacium designarem? Qui me à teneris multis beneficiis & officiis prosecutus, animo adhuc constanti, & favore non languido complectitur, idque nullis inimicorum machinationibus absterritus. Quemque vicissim ego (ut de mea observantia, quantumvis debita, propter hostium procacem injuriam, aliquid afferre liceat) colui; amavi, reveritus sum, ut patronum, fautorem, dominũ: præsens, absens, privatim, publicè: Cujus honori, incolumitati, commodis, semper & ubique studui, ac consultum volui: Ad quam rem, præter monumenta aliquot publica, (quæ hostium lividæ calumniæ nunquam suppriment) etiam vivorum testimonia, in patriâ & exteris producere valeam, nec pauca nec vulgaria; nisi me à præstiti officii deprædicatione (quam calumniæ hostilis extorsit crudelitas) insitus animo pudor & verecundia, revocent: Nisique etiam adamantinus ille amicitiæ nexus, quo me adhuc Dn. Gudbrandus dignatur, ac invitis & quidvis aliud svadentibus, frustraque, ut dictum, calumniantibus æmulis, intrepidè fovet, testes renuant.

*VI. Confut. Argumentũ à causa contraria, cui tam malus effectus respondere non posit.*

Hinc porrò illæ, mi Lector, lacrymæ: Ab hac inquam amoris constantia, quâ summus ille vir, suæque ac posterioris ætatis ornamentum (ut alibi scripseram) atque decus, nullo hostilium suffossionum interventu, ab

*Livoris hostilis ansa & occasio.*

amore mei revocari, vel de verà amicitia quicquam remittere voluit: ab hac, inquam denuò, amoris firmitudine illud est, quod lividus, nescio quis, dæmon eò vesaniæ, æmulos egerit, ut multis antea & variè tentatis, in hanc demum conspirationem, mei perdendi causâ, eruperint. Inde, dico, inde ista calamitas:

Inde superba cupit, contractam rumpere, more:
Damnato Satanæ, factio, amicitiam,
Cui tandem accessit gnatonum, plena furore, &
Proscripta à scelo, rancidà turba nimis;
In quib. HAUT PARVUS, gyratis undiq; FUSIS,
Pensum nequitiæ netque trahitque suæ.
His addas, cujus Pater, EXULIS, omine nullo, — *Exulis.*
Nomen habet; gnatus ni velit esse ratum;
Est cujus, *Non sat*, pietas, *Attendere patrem*:
Quid me? Mulcendo, fallit, alitque dolos.

*VII. Confut. Argumentū, ab effectis, objecto crimini contrariis.*

Quid autem? Illumne ego virum pessundatum cuperem (nedum ipse pessundarem) cujus causa aliquoties, multorum odium contraxi, simultates incurri, iram & invidiam contra me exacerbavi? Cui ut bene esset, hîc & in exteris, quantum in me erat, advigilavi sæpius (aliquando etiam, non sine vitæ discrimine) cujus nomen & æstimationem ac merita in Ecclesiam Patriam, plurima, & præclara, publicis elogiis extuli? cujus integritatem & innocentiam, in pluribus certaminibus domesticis, à popularibus ipsius circa negocium & rem Ecclesiæ motis, aliquot paginis deprædicavi, in meo de Reb. Islandorum opusculo, eoque sereniss. Reg. Majestati inscripto & dicato: Nec enim Gudbrandi nomen ac merita, satis agnoscere, agnitave dignis laudi-

laudibus evehere mihi visus sum, nisi etiam apud ejus majestatem à cujus numine & nutu, Ecclesiæ & patriæ salus, secundùm Deum, tota pendet & sustinetur. Illumne inquam, pessundatum ego vellem, quo à suis inimicis, dolo & fallaciis circumvento, ac quà famam & commoda, quantum in iis erat, superiorum offensæ prostituto, non aliter ac ipse, qui ista patiebatur, indolui?

Cerè omninò, illum ego virum, si, ut delatores falsò criminantur, jam falsò accusare, & apud Regios commissarios traducere (quò illo ejecto, ego reciperer) præsumpsissem, forem hostium similis, bilinguis, hypocrita & mendax: Id quod Deus in æternum avertet. Illumne (quæso postremùm) proderem & perderem, cujus salutem & omnium rerum incolumitatem precibus tum publicis, Ecclesia conscia, tum privatis, quæ etiam teste non carent, omni exceptione majore, supplex à Deo, assiduè postulavi? An verò, qui Ecclesiæ benè cupiat, fidelem ipsius Ecclesiæ antistitem, oppressum, ejectum, perditum cupiet? Quid tandem restat, quo minus me mei Delatores, juratum quoque Ecclesiæ hostem declarent? quum in quibus devotissimum esse convenit, sub dolà aliud mente versare, aliud linguâ prætexere & præ me ferre, subinnuunt. An in iis, etiam locis, iis temporibus Christianorum precibus deputatis, hypocritam agere, Deo mentiri, fictoque & fucato animo quicquã, nedum vigilum Ecclesiæ salutem & prosperitatem petere; atque ita Deum ludificari, quisquam sibi fas licitumque putet? Æmuli sibi fortassis, absit, ut egomet mihi.

Etsi porrò solidus hic utrinque amor & amicitia,

*VIII. Confutationis argumentum, à meræ hostium ψευδολογία, ipsorum rerum eventu, & testimonio contrario ostensa paulo prolixius tractatum.*

& mihi & moderatis omnibus mecum animis, contra prædictam calumniam satisfacere potest, tamen ad sugillatorum istorum, cerbereos compescendum latratus, ulterius adhuc progrediendum est.

Quid igitur? Deumnè ipsum, præter meam & ipsius Dn. Gudbrandi conscientiam; illum dico, cordium & conscientiarum judicem & vindicem unicum, appellem?

Nescio sanè quanti isti homines, Deum divinaque faciant: Magni enim si facerent, non tam infanda, tam falsa, innocenti & immerenti, crimina compingerent, Deum nempe, si non homines veriti. Non igitur á mea parte juramentum iis modò offeretur. Nam vel sæpius juranti, non credent: ut quorum nonnulli, haut rarò & levi de causa, dejerare (quid si, pejerare?) assueti sint. Quorsum itaque juramenti margaritam porcis? Accedit, quòd qui me proditionis insimulant perjurii etiam arguere haut verebuntur. Penitius itaque obtrectatorum criminationem attingamus & exerceamus.

Quidnam vero illud est, quod isti, identidem latrant? Monitum id initio: Nempe per literas, superio-
» ribus paulò annis, hoc me in Dania attentâsse, ut sub-
» moto Dn. Gudbr. ego Diœcesi Holensi præficerer, &c.
Argutè prorsus contra Marcion. Div. Tertullianus: MENDACIO, inquit, MULTA SUNT NECESSARIA, &c. Egena quippe res est mendacium, ut quod solitarium & nudum citius vilescat & evanescat, nisi subinde aliis atque aliis falsis vestiatur. Nudè propositum est, Delatorum verbis, Calumniæ caput hu-
» jus & summa quædam satis generalis: Mala me erga Dn.
» Gudbrandum fide usum, eundemque Dignitate & offi-
» cio exutum velle, &c. Hoc falsum, ne insiti veneni calore

calore nativo & humido radicali citius destitueretur, alio & novo mendacio super induendum erat.

Quocirca boni Detractores, Calumniæ suæ fomitem, seu fontem vel puteum magis, limosum & luteum vallo cingunt (ne forte Veritatis sole, vi & calore, citius exhauriri possit) cæterum opere, non cæmentario aut lateritio, sed valde arenoso: Videlicet (ut dictum) literas à me diæcesis ineundæ cupidas, in Danium datas esse, &c. Benè sanè res habet. Ad literas meas se referunt. Proferant igitur literas, quibus hanc criminationem stare vel cadere oportet. Aut si non has, saltem ad quem vel quos datæ; aut à quibus fide dignis viris, lectæ vel auditæ sint, proponant: ut illæ vel isti, pro hostium delatione, testari queant: quo tamen præsidio, in æternum destituentur. Quod quum ita sit! estnè hæc lector, egregia Principii petitio (ut loquuntur) ad quempiam atroci crimine obruendum excogitata; ut falsum falsò confirmare annitantur. Ego autem si quid tale animo concepisse, ne dum ad aliquem publicæ vel privatæ sortis, scripsisse comperiar, non decies aut centies sed millies luam: & nec vel Busiridis aras, nec Censorini equum, nec Phalaridis bovem refugiam, vel recusem. Æmuli vero talia mentiti, quid meriti sunt? Sed subucula quasi hæc erat, quamquam lacera, ad excalfaciendam ipsam principalem calumniam inventa: vel etiam (quod monui) altè? sed malè & infeliciter defossus puteus, in quo frigida, ad eandem calumniam extremo virium deliquio laborantem, reficiendum, colligeretur: ajo mendacium illud callidum, de datis in Daniam ejusmodi literis. Thorax jam restat (cui non dubium, quin bardocucullum adjunxerint,

licet de illo adhuc minus constet) & is quidem, si ars Volcanum non fefellit, satis firmus & chalybeus: Unde tam ornamentum quam robur calumnia princeps acquireret. In promptu autem hic est obtrectatoribus: Idem enim quod antea per literas in Daniâ, etiam coram cum DDn. Commissariis Regiis, in Islandia, An. ut supr. 1618. egisse, mentitos non pudet. Verùm Thoracem talem Delatores annum integram in fabricâ habuerunt: Credo â nanis quibusdam Saxicolis, vel aliis alioqui dæmonibus hypogæis concinnatum; quo conspicua calumnia hostilis, post obitū Dn. Friderici Frisii (qui superiore anno, commissarius Regius, nunc 1619. præfectus Islandiæ, ad nos venerat) in publicum prodire, de consilio calumniatorum, debuit. Illud verò Mendacii Sollennis, sive ornamentum, sive auctarium (de actione cum DDn. Commissariis) quum probatione magnopere validâ indigeat; eorundem Commissariorum alterum, nempe prædictū Fredericum Fr. sed vitâ functum, testem adducunt, quantum relatione accepi: eumque hac ratione, in hujus Calumniæ societatem, perfide & scelerate adsciscunt. Ego contra, ad vivos & superstites provoco, maloque vivorum, quam mortuorum, nisi legitimè conceptum & scriptum extet, testimonio uti. Superstes autem est, quod sciam, Commissariorum Regiorum alter, Dn. Georgius Windt: & ille Anni 1618. præfectus (quo anno hæc acta perhibentur) Dn. Herlofus Dan. Superest etiam hujus Herlofi, sæpius apud nos relictus vicarius; ingenuus vir Georgius Daniel, & ipse, actis & consiliis prædictorum Virorum eo ipso anno præsentissimus. Hos itaque consulere, ab his quærere, & verum inquirere, tutius & facilius est, quam defuncti Fri-

Friderici manes de teſtimonio contra me ſollicitare. Aſt verò haut vulgariter æmuli ſapiunt: Dn. Fridericum, vivis demum exemptum, a ſuâ parte, proditionis teſtem adducendo: Collegam autem ipſius, Dn. Georgium Windt, adhuc, ut dixi, ſuperſtitem, ſilenter prætereundo, ut à quo etiam num mendacii argui poſsint. Suntque in his & ſimilibus ſtrophis, calumniatorum artes ſatis manifeſtæ: ut & in iis, quæ ſequuntur. Nam quum mortui reſponſa dare nequeant, haut paucos ſubordinarunt æmuli, qui poſt obitum Dn. Friderici, famam ſpargerent: habuiſſe hoc ipſo Anno 1619. ad nos revertentem, in mandatis; ut quod adverſus Dn. Gudbrandum tentaſſe me, criminati ſunt, effectum daret: videlicet ut ipſe Dn. Gudbrandus, officio privatus, mihi loco cederet. Atque in hunc modum æmuli, fide potiſsimum, ut ipſi jactant, nautica, ad id uſi, Calumniam ſuam, ſimplicitatis & condolentiæ erga Dn. Gudbrandum, fuco tinxerunt; Virus autem contra me ebulliens, texerunt, ut ex ignotis non neminem credulum habuerint: hocque ornatu ac mendaciorum συστγέια, viperea proles, non torace tantum, ſed velut toga talari, comptior & palliata in trivio conſpecta eſt, meretriciis blandimentis, vulgi aures demulcens atque illectans.

Cæterum repreſſum eſt hoc mendacium non ſolum ipſo rerum eventu; ſed ſcripto & literis, Reverendi & clariſſ. Dn. D. Joh. Reſenii, Regnorum Daniæ & Norwegiæ Superint. generalis, hoc ipſo Anno 1619. ad Dn. Gudbrandum datis: quibus manifeſtè demonſtratur, nihil tale in Dania agitatum eſſe. Quare manifeſtum jam, quantum mihi hoſtes debeant; quibus non ſatis eſt, ſuis: verum etiam aliorum confictis (quid ſi conductis?)

rumo-

rumoribus, me oppugnare & onerare; & nisi Divina peculiariter illis obstet clementia, penitus obruere: ut si non veritati, saltem mendaciorum varietati, tanquam curribus falcatis in me actis, succumbam. Sed age: inspiciatur accurratius, Quales nobis Commissarios Reg. hostium livor & calumnia depingant? Quantam (proh!) maculam amplissimis & integerrimis viris, aspergant? Dum me, illud, quod immaniter mentiuntur, nefarie quærentem, à Dn. Commissariis admissum, auditum, atque sic exceptum fingunt, ut proximo statim anno scelesti voti compos fieri debuerim? quorum potius fuerat, tale aliquid molientem, aversari: & cum contemptu ac indignatione, pro sua authoritate, virtute & potestate, rejicere. Illud verò tantùm abest, ut ex nostratibus vix alium honorificentius, summi illi viri (quâ fuerunt humanitate) habuerint: ac insuper, quia ex boreali Islandia, ad littus meridionale, per ipsorum literas evocatus, ad nutum ipsorum comparuerim, dimissum munificentiâ sua liberaliter ornârint.

Porrò non solum ad nobiles istos viros, modò dictos & ad huc superstites, ego provoco, ut quid apud ipsos & quomodo, in causa & negotiis Dn. Gudbrandi egerim, ingenue & syncere testentur: sed insuper ad meas in proximo Augusto (quum illi in Julio hinc solvissent) ad eosdem datas literas; Similiterque ad eas, quas eodem tempore ad D. Resenium scripseram.

Istæ, istæ ad utrosque, utinam proferantur literæ, quibus pro Dn. Gudbrando apud Regios, à suis, qui noti sunt, inimicis delato, quam potui, fidelissimè intercessi: Utinam proferantur, inquam, ad hostium διαβολίαν & meam innocentiam seculo monstrandam. Clariss. D.

D. Resenii ad me, Anni 1619 epistolam in rei fidem,& integritatis atque innocentiæ meæ evidens argumentum, servo: quà is meam, pro causa & negocio Dn. Gudbrandi apud se intercessionem, meis verbis repetit: quæ hæc sunt, inter alia: ut D. Resenius sua autoritate „ provideret, ne Dn. Gudbrandus odio politicorum op- „ premiretur. Hæc mea, ad se D. Resenius sua manu ex- „ arata, ad me scribens, ut dixi, repetivit: non sine innocentiæ meæ & veritatis fato: ut iis, non mea sed ipsius manu extantibus, (testatur enim se mea illa verba repetere) contra tantã & tam inexpectatam Delatorũ meorum calumniam, uti possem.

Quæ licet sic omnia se habeant; Ego nihilominus, dum Dn. Gudbrando in hunc modum studeo, ipsiusque omnia negocia, Deo & bonis omnibus, quam commendatissima esse cupio, ab æmulis tamen perfidus,& famæ ac nominis Gudbrandini proditor audio. Unde invidia ipsorum cæca (quum alioqui juxta suum etymon, nimiam videat)& livor inexplebilis manifestior evadit, quam ut multis id conqueri, necessum sit.

Nec me interim mutuis convitiis, falsisvè criminationibus, quales illorum sunt, ulciscar: Nam si mendacium, mendacium:& calumniam, calumniam: hoc est, Scapham, Scapham: & ligonem, ligonem appellem, quis jure ringetur? Neque quæ ad rem præsentem non attinent, ad infestos irritandum crabrones, assumam: Sed postquam illud, quo ab hostibus impetor, maleficium, suis & contrariis ita breviter depinxi coloribus, argumentis etiam evidentibus, impudentem calumniam jugulavi & attrivi, apegorematis hujus partem priorem, verbis Davidicis concludendo, ad finem deducam.

Psal. 7. Domine Deus meus, Salvum me fac ex omnibus persequentibus me. Domine Deus meus: si feci istud: & si est iniquitas [hæc] in manibus meis: Si reddidi malum, pacem habentibus erga me, Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat: & conculcet in terra vitam meam, &c. Sunt autem præterea (ut id initio notatum hîc liceat repetere) quæ Delatores mei, nunc ipsi, nunc per suos gnatones & Parasitastros, in me maledicta, furtivis congerunt ausibus; sed solo erecti & constantis animi contemptu, infringenda & obterenda: Dum in maledicentium ore & pectore, tabem contrahant & vermibus (nisi tempestivè animis ad resipiscentiam compositis, sanentur) ad propriam conscientiam penetraturis, scateant: ut vel sic isti tandem mordere & maledicere, ac linguis aculeatis immerentem proscindere dediscant.

II. Membrorum Apotribes, bipartitum. Reliqua nunc est, candidi Lectores, cum æmulis & delatoribus meis, de notoriâ hac, & hucusque refutatâ calumnia, actio: Non tam sanè accusatoria quam, dissuasoria. Læsum autem & lædentes hæc quoque pars respicit: quæ quò etiam ordinis aliquid habeat; De me ipso, ut læso, quædam primùm dicam. Deinde quemadmodùm me læso, sibi ipsis, quà existimationem, quà incolumitatem & salutem propriam, minus providè æmuli consulant, evidentius monstrabo. Utrumque certè in hunc finem; ut si ego obtrectatorum meorum injuria indignus sim, & hæc ipsis indigna, jure videatur, quippe, qui se ingenuos haberi, maximè velint; illi mutato animo, de παλινωδίᾳ maturè cogitent, eosdemque si non mea, saltem sua causa, maledictorum tædeat.

Itaque ut salvo pudore & inviolatâ veritate, De me ipso,

ipſo, ut crudeliter læſo & laceſsito, Lectorum impetrato & accedente favore, priore loco aliquid afferatur, quanquam mei ipſius præconem invitus ago: Tamen ſi quis vitam meam inſpiciat, nihil admodum probroſum aut pudendum, (ſit Deo gloria) nihil tam exoſum & abominandum, quàm adverſarii mihi affingunt, depræhenſum iri confido.

*Membri II. pars I. hoc ſyllog. contẽta. Indigne & immeritò lædunt. ergo palinodia cantanda.*

*Reliqua pro ſyllogismos habent.*

Ut enim ab ortu & educatione, in quibus ſæpius multum ſitum eſt, incipiatur; Conſtat iis me natum parentibus, iis majoribus ortum, quorum etſi non permagnæ opulentiæ (in quâ hodie omnia ferè ſita volunt) tamen probitatis memoria recens vigeat: Improbitatis verò & inhumanitatis veſtigium nullum, vel ab inimicis & æmulis, notari queat. Educatio deinde, ſi quid conferat; Sciunt & dolent æmuli, Octenni paulò majorem, à noſtro Dn. Gudbrando, veluti gremio ſuſceptum, & alumnorum Scholæ Holenſis albo inſcriptum. Hinc ephebum, teſtimonio honeſto & favorabili, quod etjamnum extat, in exteros dimiſſum, ac inprimis Hafnienſium Academiæ commendatum eſſe. Nec me peregrinum Regia Academia ſprevit: ſed quovis humanitatis & benevolentiæ officio exceptum, etiam in alumnorum Regiorum numero & Ordine recenſuit. Unde diſcedens, tum ipſius Academiæ, tum convictorum magis intimorum vitæ ibidem tranſactæ teſtimonio & ſigillis munitus, ad Dn. Gudbrandum revertor: Sicque in An. ferè ætatis 30. in ejuſdem familia dego.

*Ortus & majores.*

*Educatio.*

*Peregrinatio & ſtudia.*

*Virilis ætas.*

Ubi in converſationem & mores, quamlibet exquiſitè, æmuli inquirant licebit; ſive in aliquot annorũ adminiſtratione Scholaſtica agentis: ſive alia negocia Dn. fautoris nomine obeuntis, tum domi, tum extra patri-

 am:

am: Ut quum Anno 1592. in Daniam ablegarer: Quo tempore Dn. Gudbrando à popularibus suis lis mota est gravissima, & causa apud Magnif. DDn. Regni Senatores (interregnum erat) dicenda fuit. Ubi tum accusatoribus, mea aliquali opera, ita obviam itum est, ut eorundem emissarius ac antesignanus, spe nocendi frustratus, & vicissim objectis quibusdam oneratus, aliquando conspectus sit é consistorio judicum lachrymis perfusus discessisse: ipso postea ad suos reverso, id aliquoties confitente. Suntque hi brevissimè primi q. actus, in hujus mundi proscenio traductæ. Nam studiorum cursum sanè (fateor) jejunorum, quorsum attinet, æmulis consignare, quæ isti cane pejus oderunt & angve, etiam in communis Patriæ defensionem, Ornamentum aliquale & emolumentum collata? Trigenarius porrò, Deo ita disponente, Parochiis Ecclesiasticis, à Dn. Superintendente præficior, usq; in hunc An. ætat. 51. currentem. Hìc rursus, si quid obtrectatores & æmuli habeant, quod magnam reprehensionem merito incurrat (sive de mea erga Dn. Gudbrandũ fide, sive aliud quidvis) præstò sum & ad respondendum paratissimus. Mihi sanè Christianæ innocentiæ suffragium, vel inde petere, integrum erit; Quòd me ipse Dn. Gudbrandus, in curis Ecclesiasticis, coadjutorem, jam senior & infirmior popofcerit, sereniss. Reg. Majestatis annuente & accedente authoritate & mandato: Anno 1596. Quà tamen in re animum, æmulorum lacessitum injuriis, minus sibi satisfacere, jure querar.

*Bonorum amicitia.* Jam si etiam in bonorum familiaritate & amicitia, ad nomen & famam honestam, aliquid inest momenti; illa mihi semper, optimorum quorumque optima, uti, frui,

frui, contigit, & domi & in exteris. Et quia domestica etiam æmulis nota sunt; exterorum amicitias & humanitatem in me summam, sigillatim commemorabo. Ubi primùm occurrunt, inclytæ Hafniensium Academiæ, DDn. professores celeberrimi, ac ante reliquos Theologi. D. Paulus Matth. C. horum Regnorum Ecclesiæ Superintendens generalis, ac meus cum primis fautor & Mecænas. D. Jacobus Matth. Arhus. quo autore & Academiæ Rectore, cornua posueram; & in cujus obitu, ut funere paterno, flere sum animadversus. D. Andreas Roschil. (Nam clariss. D. Nic. Hemmingius, senio & laboribus delassatus, ex Academia, respirandi gratia, nõ ita dudum concesserat.) D. Joh. Slangendorpius, &c. Deinde etiam reliqui DDn. Professores; me, ut clientem complexi: D. Nicol. Theophilus, J C tus: & Reg. aliâs ad exteros legatus. Tum Medici: D. Andreas Christ. Rip. nutantis mihi valetudinis sæpius opitulator. D. Andreas Lymw. D. Andreas Cragius, &c. Præterea, Magist. Petrus Haggæus Logices Professor, & mihi novitio privatus præceptor honoratissimus. Magist. Joh. Aurifaber, Rhetorices P. p &c. Estque ille optimorum virorum, prior q. manipulus, quorum non interrupto favore, Academiæ Hafniensis tyro gaudebam: Quique ad patrios abiturientem lares, alii honestissimo testimonio ornârunt, ac veluti itineris comites deduxerunt: quæ etiamnum extant: Alii postmodum ~~absentem~~, literis humanissimis juxta ab amicissimis absentem foverunt; & desiderio sui languentem subinde recrearunt.

Hafniam deinde exacto decennio primum; deinde etiam post alterum decennium, reversus, illorum successoribus, præstantiss. viris, etiam amicis & faventibus triennio

ufus ſum, Dn. D. Petro Winſtrupio, Academ. Profeſſore Theol. & D. Pauli Matth. in epiſcopia Eccleſiarum generali ſucceſſore: cujus etiam menſa & convictu, menſes aliquot continuos gaudebam: Dn. D. Joh. Paul. Reſenio. D. Cunrado Aslac. B. Theologis: & eo, quem jam dudum, fati neſcio quo turbine dejectum vidimus, Dn. D. G. D. Itemque D. Nic. Cragio J C to. Regni etjam Hiſtorico & Regio apud exteros, aliquoties legato. Tum Magiſt. Jona Jacob: Wenuſino, Regni poſtmodum Hiſtorico. Tum denique Clariſsimo Thoma Finkio, Philoſoph. & Medicinæ Doctore celeberrimo; fautore illo meo & hoſpite deſideratiſsimo. Qui quamvis poſt reliquos hoc commemoretur loco, tamen ante alios perpetuo mihi habendus eſt: ut cui non favore ſolùm & immortali amicitia, verùm magnis etiam meritis; ſicut & Rever. & Clariſſ. Dn. D. Joh. Reſenio, Eccleſiæ generali Superint. moderno, obſtrictus ſim. Quorum omnium, hîc partim adhuc ſuperſtitum, partim vita fruentium beatiore, placidiſsimos vultus & porrectas aſsiduè dextras, velut coram intueri mihi videor: Ora ſapientiæ & eruditionis nectare ſtillantia, audire: Januam & aditum mihi ſemper patentem aſpicere.

Hafniâ, ad maris Balthici accolas, mente delato; te veneran de ſenex, Reverende & Clariſſ. D. David Cythræe, in ſuperæ regionis domicilio, dudum beatiſsime, ut & generum tuum D. Joh. Frederum, præteriiſſe, minimè integrum foret. Qui quoties hominem Islandum nacti eratis, novam benefaciendi beneque merendi occaſionem nacti videbamini. Expertus hoc loquor; non tantùm præſentia veſtrâ aliquoties fretus, aliâs in menſâ, aliâs alioquî, ad colloquium humaniſſ. admiſſus; ſed

& li-

& literarum commercio ab utroque; & operum Theologicorum vasto volumine, à D. Cythræo, etiam trans Oceanum misso, benignè ornatus.

Iis accensendus est, summus ille Theologos, Dn. D. Philippus Nicolai; Ecclesiæ Hamburg. antistes: Omnium, quibus paucis tantùm in vitâ diebus conspectus sum, mei longè amantissimus; qui breviculæ conversationis jacturam, literarum commutatione, annuatim ad ultimam usque hujus fugacis vitæ periodum continuatâ humanissimè, recompensavit. Illum porrò virum terris, proh dolor, nimis maturè (nisi quia Deo ita visum) exemptum, in beneficentia atque amore mei excepit, qui ipsi in statione Ecclesiastica, à latere q certè divinitus constitutus fuerat, Rev. & Clariss. Vir, Dn. Mag. Georg. Dedekennus, de Ecclesia; etiam scriptis publicis benè meritus: Cujus laboribus, misericors Deus, continuè benedicat, ex animo precamur.

Horum porrò præstantissimorum hominum tam in Dania quàm alibi commemoratorum, favorem, benignitatem, amicitiam, eorundem frequentes partim de me, partim ad me literæ, satis loquuntur, quarum paucculas, huic apegorematî; subjiciendas, forsan curabimus. Non eò sanè, quod ipse mihi pacto publicè adplaudã, sed ut vel inviti videant æmuli, à quot & quantis viris, odio mei dissideant.

Jam ab Academia & doctorum collegiis, si ad Regiam ascendere, Orationi fas erit: etiam Clementiss. & sereniss. Regis ac Regiorum nonnullorum; benevolentiæ & favoris indicia haut obscura; teneor agnoscere. Nam præterquam quod Serenissimi Regis libertate, in discentium & literatorum Ordinem collatâ, in patria &

& exteris victitarim; etiam id magni est, quod opuscula mea, Patriæ bono publicata, Regiæ suæ Majestati Sereniss. dicari, clementer permiserit: ac me insuper munificè ornaverit: tum etiam, quod laborem quendam historicum, cum Regni Historico communicandum, per literas clementissimas, mihi olim injunxerit: præter quinas alias, ipsius Sereniss. Regiæ Majestatis literas (vel diplomata) meo bono & honori edita. Ex Regiis autem, magnificum utrumque Dn. Cancellarium, Dn. Nicolaum Kaasium, & Dn. Arnoldum Hvidfeldium, hîc simul commemorâsse, æquum erit: quorum tam hic quam ille, studiis olim meis, favoris sui benignissimâ aurâ, sæpius adspirabat.

Sed de his jam prolixius; & sat scio, æmulorum cum tædio: precor Lectores, ne cum vestro. Isti autem nil mirum, hæc si fastidiant: qui id saltem in votis habent, ut me unà, & fama & favore bonorum exuant: Unde jam tam callidè sapiunt, ut initium à Proditionis crimine & calumnia faciant. Quæ si calumnia non esset: Sed crimen non falsò objectum; & hujus lucis diurnæ intuitu ac usura, & omnium bonorum memoria, (quid favore & amicitiâ?) uti antea potestatum est, longè forem indignissimus. Sed Deus meliora.

Hactenus bonorum in me favorem & constantes produxi amicitias: quorum judicio, hostili hac injuria indignus forem. Nunc quo jure, censentibus æmulis, eàdem dignus efficiar, disquirendum; eoque ab amicis & fautoribus, ad inimicos & delatores, paulisper, licet invitis, divertendum nobis est: Non sanè in illorum vitam aut mores inquirendo: nisi quà ingenium eorundem hac in parte (calumnias sc. confingendo) se ipsum prodit.

Queis

Queis mendacia ſunt, opes & aurum:
Fingunt quæq; volunt, putantq; palmam,
MENTIRI bene, glorioſiorem, &c. Quod de Calumniatoribus, quam Poëtis, Campanus olim rectius uſurpaſſet.

Nam quod illi ſponte & conſultò de ingenio proprio & animi indole nativâ, hanc inferendo injuriam, in apricum produxerunt, ac omnibus palam eſſe voluerunt; ego dum hæc mei excuſandi gratiâ tracto, quînam occultum facilè habuero? Non inquam ullâ alia ratione de morib. aut vita, vitiis aut virtutib⁹ hoſtium, ephorum vel Ariſtarchum agam. Quin potius quum à bonorum de me judicio, toto cœlo diſſideant, iſtud jure requiram: Quà meà culpà, quove malo merito, huc veſaniæ proſilierint, & hanc malam mentem induerint, ut me tam dirà calumniâ ulciſci, integrum ſibi hoſtes putârint? Quid demum peccavi? Quid admiſi? publicum vel privatum, in vos, ô mei delatores & æmuli, aut etiam veſtros, tali vindictâ, imò vel irâ ſaltem veſtrâ aut indignatione dignum: & cujus nomine, tam furenter me aggrederemini? Profectò: Veſter ille, tam atrox & impotens calumniæ impetus aliquod meum inſigne in vos peccatum, imò ſcelus meritò præſupponeret. Quod ipſum, quum hactenus, etiam per alios, meo nomine poſtulati, proferre nequeatis, veſtrum erit tantò indignius adverſum me maleficium & injuria. Mihi ſanctè affirmare licet, me de vobis, ſi bene nihil, nihil certè malè meritum: ſin minus, ſi viri eſtis, monſtrate. Ego ſeriò & ſyncere loquor; Vos itidem, & non, ut hactenus (per calumniam) mecum agite, ſi virtutis & veritatis naufragium paſsi & faſsi, viri boni nomen abdicare,

& famæ, quam mihi paraſtis, jacturam ipſi facere, vereamini.

Niſi forſan æmuli, illo ipſo malè meritus, animumq; protervum & linguam provocaſſe petulcam videbor: quòd veſtrum (ut jam ex vobis unum & alterum ſpecialius tangam) & veſtrorum quoſdam meâ olim ferulâ & inſtitutione Scholaſticâ literarum & pietatis rudimentis inſtruere, quâ debui & potui fide, allaboravi; Vel quod etiam nonnullum ex vobis Scholaſtico perfunctum pulvere, meâ aliquali operâ promovi; nutanteque ſubinde fortunâ, offenſam juſtam ſuperiorum incurrentem, deque ſubſidiis meâ interceſsione collatis, pereclitantem, honeſtâ ratione protexi, conſilioque & favore erexi. Qui ſe interim hoſtibus meis tantùm non capitalibus & delatoribus impudentibus, etiam non rogatus, & ſponte ſuâ adjunxit. Qui ſive unus, ſive plures illa linguâ, quam olim bene & rectè, ut ſc. piè & doctè loqueretur, informaveram; illa inquam eâdem, ad tantam, quam diximus, infamiam, in vulgus ſpargendam, contra me & in hoſtium gratiam, hoſtes ipſi, uti non verentur nec erubeſcunt. Hoc ſc. eſt, Præceptores amare & revereri; an verò Neronianum διδακτρον perſolvere? Etenim ut antea monitum & omnibus notiſſimum eſt; conſtat ut manum ſuo, ita linguam, illam in primis, quæ

Triſtia, ſub dulci, toxica melle gerit,

ſuo defungi poſſe homicidio. Verùm ego, quum illorum inſtitutorem agerem, Domitianum, Neronem, ut viri boni & laudati exemplar, illis nunquam propoſui. Qui ſi in poſterum lædere pergant, manifeſtius & majori cum rubore propellendi erunt, Jam toti Delatorum factioni, (gene-

(generaliter expostulando) insistamus. Et ut privata ut æmulos (olim amicos) beneficia, si possem, non jacto: ita nec privatam nec publicam, quam in me vindicent, injuriam agnosco. Quare eam, si quæ sit, aut esse saltem iisdem videatur, promant & palam faciant, iterum, constanter efflagito. Sed mutis & surdis, ut hactenus, canitur. Conjiciendum igitur. Ecquid verò quod in me reprehendant, conjiciam?

An quòd in se, vel in publicum malè mereri statuant; qui communis patriæ patrocinium contra variorum Sycophantias, jam quartùm publico scripto in se suscepit? De quo tamen, æmulis exceptis, reliqua Patria, semper aliter judicavit; gratiam aliam, aliamque potiorem notam mihi decrevit: Cujus hac in re gratitudo, etiam justâ confessione (eorum qui gratiæ talis patriæ causâ, præcones extiterunt; consignatis nominibus) publicum elogium sortita est. Patriam nostram, æmuli, dum defensam & ornatam volui; non glebas terræ, aut glaciem montanam, non saxa aut scopulos: Sed gentem ipsam, & majores: Majores inquam simul vestros, defendere & ornare, quantum licuit, annixus sum; etiam cum aliquo (de communi sententia loquendo) famæ & nominis mei periculo. Nam etsi, juxta Augustinum, "nullus "repræhensor formidandus est amatori veritatis: tamen quia me Scriptoribus, plerisque magni nominis & doctioribus, objeci, superioribus pariter & modernis (quorum nonnulli, me scribente, superstites, opuscula mea evolverunt) verendum erat, si non res, ne verba tamen & Orationis filum novitii Scriptoris, à doctis vapularent: in quibus, licet tempore, haut tamen eruditione ultimus fuit, David Fabricius, Geographicis & Astro-

*Vid. Epistol. Fabrician: pro Islandia An. 1618.*

 nomi-

nomicis ſtudiis (præter Theologica) non ignotus. Id verò vos crudeles æmuli, parvi ducitis; &, ac ſi non ſit, quod ab exteris quibuſdam, de ſpretâ noſtrâ Islandiâ, avidè ſcriptitant... ns, ſiniſtri reſponſi expectem, vos, pro veſtro & gentis noſtræ patrocinio, in me inſurgitis: & illorum q. induti perſonam (ſi qui fortè gentem hanc pauperculam, iniquo proſequantur odio & contemptu) negocium iniquiſsimum faceſsitis: atque quod illaudatiſsimum tota habet antiquitas, verſtro quodam modo exprimere ac imitari, vobis credo volupe erat.

*Spartanorū ingratitudo.* Credo etenim (ut vetuſtatis aliqua jam premantur veſtigia idque ferè, ut aliàs, Hiſtoricorum verbis) famoſam non multùm vobis diſpicuiſſe Lacedæmonem: in quà urbe, juxta Hiſtoricorum fidem, meritiſsimum Lycurgum, nec vita innocentiſsima, nec amor erga patriam conſtantiſsimus, nec leges latæ utiliſsimé, ab infeſtis civibus vindicare potuerunt, quin jam lapidibus impeteretur, jam oculo privaretur, jam furore hoſtium ejiceretur; & tandem patria pelleretur.

*Athenienſiū ingratitudo.* Nec ipſas ſimili nomine Athenas: quæ ipſum Theſea, Athenienſ. Reip. fundatorem, decus & præſidium, poſt præclariſsima merita; quæ tanti quoque nominis Solonem; quæ Ariſtidem, Juſtitiæ illud & continentiæ ſpecimen ſummum, in turpe exilium egerunt. Quæ Miltiadi, pro Marathoni p. trophæorum præmiis, carcerem & vincula decreverunt. Quæ Themiſtoclem, poſtquam claram Rempubl. in columem, & opulentam reddidit, ad Xerxis, paulò ante debellati, indebitam miſericordiam confugere, ſummis inimicitiis coëgerunt. Quibus Phocionem, non tantùm eculeo impoſitum, ſed & nullam Atticæ Regionis glebu-

glebulam, quæ cineribus ipsius injiceretur, nactum, si addas; vix erit, quod ad Atheniensium ingratitudinem addas.

Nec Charthaginensium factum illaudabile forsan ducetis, qui Hannibalem illum suum pro ipsorum salute tot Romanorum exercitus & Imperatores fundentem, quot gregarios milites hostium si occidisset, magnæ foret gloriæ & laudi, nihilominus è conspectu suo submovere, animum induxerant. *Chartagin: ingratitudo.*

Tandem Syracusanorum, libertatis suæ assertorem, Dionem, primò ejicientium: Deinde revocatum, violatâ fide publicâ, interficientium, furorem & scelus, quis scit, an detestabimini? *Syracusan: ingratitudo.*

Tametsi autem Delatores, ut bonorum bonam gratiam & laudes, non nisi submisso, & modestissimo animo acceptare, mihi integrum; ita vicissim etiam, vobiscum colloquendo, pari animo, merita si quæ sint mea, leviter attingere, vestræque ingratitudini opponere, fas erit (Nam quod aliâs, beneficium commemoranti suum objicitur, & de exprobatione beneficii exponitur; id vestra hic meo nomine expiabit ingratitudo; quæ me modestię meæ limites quodammodo egredi cogit.) Nihilominus hæc de exteris nationibus non meâ causâ commemoró; nec me, bene adeò merentibus, confero: absit enim longissimè, tam impudens jactantia: Nec vestrum in me maleficium, istorum ingratitudini exæquo: Quum verò interim exempla talia vobis non prorsus displicuisse animadvertam (quid? Si arrisisse, quibusdam visa) hæc in vestram gratiam, æmuli, attuli: quæ aut mentem induti nobiliorem damnetis: aut habeat contumax, & ingratissimus, ubi se pascat animus, & abundè luxuriet. *Occupatio vulgaris objectionis.*

Jam quoque si Rom. lustretis Historiam, complura, ad ingratæ mentis Palatum facientia, deprehendetis. Si inquam, ipsius Romuli, Urbis conditoris; Si Furii Camilli; Si utriusque Affricani; Si cognominis Nasicæ; Si Pub. Lentuli, fatum animo volvatis: Sique præterea (ut singulorum quorum ingratæ mentis notetur vitium) Cn. Cæsarem, à Sextilio, dum gravissimi criminis reus ageretur, defenso, hosti proditum & objectum: Si deniqúe ipsum Ciceronem; Cui Popilli similiter capitis rei, atque condemnationis sententiæ subtracti, ingratitudo fuit exitialis, strennuè cogitetis, illud ipsum, quod dixi, depræhendetis. Profectò, æmuli, etsi ad bene de vobis & gente nostrâ merendum, vix nisi voluntatem & conatum attuli: Tamen quisquis id ipsum quantulumcunque est, vestro more, non solùm non gratus excipiet; sed insuper calumniâ & maledictis, famam, ipsa cariorem vitâ, obruentibus; recompenset; atque ita beneficium maleficio pendat, quin in illorum quos enumeravi & similium censum & familiam commigret, effugiet nunquam. Atque illud est, quod secundo q. loco de me ipso commemorare ipsa rei adegit necéssitas: Unde injuriâ vestrâ & maleficio, indignus appaream & reipsa omnibus (etiam improbis) comprobeZ.

*Romanor. ingratit.*

Cæterum me nunc missum, Delatores, faciam: & acceptæ â vobis offensæ crudelissimæ, oblitum, vestri jam misereſcat. Majore siquidem vestro cum malo, quam meo, hæc quæ tractamus, incæptastis. Me mea apud cordatos omnes tuebitur innocentia: Vos vestra apud eosdem, prodet, si non perdet, contumacia. Honestæ & ingenuæ aures, Calumniam vestram aversabuntur

*Membri II. pars altera, ubi à persona Adverſ: differitur.*

*Syllog. principalis.*

buntur & despicatui habebunt: Inter cognata saltem ingenia locum & laudem forsan inveniet. Quod quum propter Hellebori parcum aut nullum omninò usum, non videatis, meum erit aliquales purgantes pectora succos præparare & propinare: Tum Collyrium probatum, ad glaucomam oculis abstergendam, communicare; Si fors, aliquando resipiscatis, & acerbâ illâ adversus me injuria, quidnam à vobis agatur, cernere demum possitis.

*Æmuli, mihi adeò injurii: sese nd[illegible]g: ii quid committunt. Ergo desistendum. Reliqua Prosyllogismos habent;*

Ad proposita igitur exempla attendite: & vel hoc saltem perpendite; Quomodo sc. Spartanorum & Atheniensium, & consequenter ferè totius Græciæ claritatem, fœda obscuraverit ingratitudo: Quomodo etiam ipsi Romani, non Urbis, sed Orbis Domini, non magis potentia illustres, quam ingratitudine exosi fuerint. Frustra, si ista negligatis, plura commemorem. Summa hæc est: Ingratitudinem (ne dum GRATIAM, ODIO, INVIDIA, MALEDICTIS, CALUMNIA, & MALEFICIIS commutatam) vitiorum omnium esse capacem: De quâ illud Catulli, jure usurpem:

*Ratio Antecedentis triplex datur. Quia me ita læso, & in Patriã commun: & in Amicitiam peccant: & deniq; saluti propriæ minus consulunt,*

Eccquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, ô Gelli, quantum nec ultima Thetis,
Nec genitor Nypharum abluat, Oceanus.

Quærere autem denuò à vobis adlubet, mei Delatores: Utrum Patriam nostram, obscuris sepultam umbris, æternum latuisse, æterno contemtus, contumeliarum & convitiorum barathro demersum iri præstet, an verò aliquando emersisse & vindicem sui aliqualem, tandem reperisse? Non dubito quin hoc posterius reliquis præter vos omnibus præstabilius habeatur: Sed

*I: Æmuli in Patriam ipsam, minus æqui.*

utrum

utrum vos magis optetis aut eligatis; causa est cur dubitem. Nam si idem vestrum ac aliorum, hac in re foret judicium; Vos vindicem nominis Islandici

(— absit jactantia dicto: &

— in magnis est voluisse, satis)

falsis criminibus, non adeò hostiliter & funestè incesseretis. Quò sanè, nihil aliud insani æmuli & Delatores occæcati, agitis, quam ut me, bonorum numero, quantum in vobis est, exterminato, patrocinium gentis & majorum vestrorum, à me sponte susceptum, ast per vos, Vos, inquam, elevatum ac extenuatum, in fumos abeat. Qualis enim fuerit Patrocinans seu vindex (nempe decernentib⁹ vobis, quantumvis falso, perfidus & proditiosus) talis etiam fuerit vindicatio sive patrocinium. h. e. nec bonum, nec fide dignum: & quod à nullo acceptari velitis. Nunquid jam cernere valetis, æmuli, quidnam potissimum à vobis agatur, quidve intendatur. Quomodo nempe nomē Majorū quoq; vestrorum, cui lucem aliquā ego adferre conatus sum, vos obliterare, extinguere, ac denuò pristinis tenebris immergere, velis & antemnis nitamini? Cernitis iterum atque iterum, quid me spreto, maledictis & calumniis onerato ac incessito, moliamini? Non dum satis aut penitus cernitis. Fœniculi igitur suffitus exasperandus est, ad hoc tam pertinax glaucoma, acutius ut cernatis: Clarius sc. quæ tracto & quorsum velim, enucleandum. Defensionem patriæ, meis conatibus, sudore, sumptibus, & (quod antea tetigi) dubio eventu cœptam, & quoad ejus fieri potuit, absolutam, vos, dum eo, quo dictum est modo, elevâstis, in nihilum certè redactam & omnium jam manibus excussam velle vos, declarâstis. Qua ipsa ratio-

ratione, videte Delatores, si videre tamen potestis; ne, dum me commodorum, famæ & nominis ipsius nostri Dn. Gudbrandi, facitis vestra calumnia proditorem, vos eo ipso proditores nominis Islandici, & quicquid inde sequitur, efficiamini: Id quod tamen, nisi revocata vestra adversus me atrocissima calumnia; quis est, qui non videat, vos minimè evitaturos? Si vestro, æmuli delicatuli, judicio, nihil sum promeritus, quamobrem à venenato morsu, vestrisque sugillationibus immunis essem? Esto. Ast quid Penates & Patriæ, vestræ, inquam, simul Patriæ, quid majores omnium nostrum; quid, si quæ futura est, posteritas, in vos demum peccavere? Quid commeruere? quapropter eorundem justum patrocinium, mea ipsius opera & conatu constare nolitis? Fidem (si quæ sit) vestram! Delatores: Cernitis jam tandem, quid paretis: quorsum calumniando vergatis. Patriæ causa vobis jam succenseo: non mea. Cur quæso hanc injuria tanta afficere juvat? Ipsius enim toties iteratum patrocinium, quod suasit pietas, laudavit honestissimorum quorumque probitas, & rectè sentientium æquitas: illud vestra, impudentissimi æmuli, pervicacia ipsi perire nolo. Neque fas est, meis conatibus debitam animi proprii modestiam, ita ad injuriam vestram connivere, ut interim ipse in nomen Patriæ, quòd unicè ornatum & defensum volui, tacendo injurius fiam. Quocirca, ne patriæ causam deserere videar; mea simul famæ & nominis integritas, veritatis clypeo tutanda erat: ubi si quid asperè vel austerè dictum videbitur, patriæ illud communis zelo dabitur.

*Patriæ, inquam, zelo? Imò, Divino. An nescitis, æmuli, quòd legatione Dei apud vos fungar? An vero impunè vobis futurum præsupponitis: Legatos Iesu Christi, temerariè & immeri-*

*tò ac innocentes contemnere, calumniis & maledictis proscindere? Illud namq; denuò inculco: Si adfricato à vobis crimine tenerer, Legatio Christi resignanda, aut superiorum autoritate, abroganda mihi foret. Aut hac non resignatâ; vel abrogatâ, in Ordinis sacri ignominiam, infamis viverem: & Doctrina sacra, me à etiam aliquali opellâ, dicto & scripto, per gratiam Dei, proposita, vilesceret. Quid si suspecta foret? Vt igitur eam, quam mihi, & per vestram, me calumniando, patriæ intulistis, injuriam, maxime omitteremus: ad Deum & Divina, attendendum vobis fuerat.*

Quare agite jam Detractores, furorẽ, qui vos ad calumniandum impulit, apagite: talpeam hanc mentẽ procul relegate: palinodiam canite. De duobus (audistis credo) fama est gladiatoribus, quorum unus, ut antagonista utroq; lumine orbaretur, alterius ipse oculi jacturã haut invitè passus est. Vos, dum studio hoc nocendi tenemini, non altero tantùm, sed utroq; oculo, Fama sc. & Pietate, cassi vivere maluistis, quam ne nihil ægrè mihi faceretis. Ego autẽ per Dei gratiam, utroq; isto lumine & integer, etiam in posterum nomen & innocentiã meam, contrà vestros insultus, per eandem Dei gratiã, tutabor; vel invitò & furente mendacii spiritu Satanâ, qui horum mihi malorum, interveniente vestro, obtrectatores, tam sinistro & hostili animo, fons & fomes extitit.

Porrò verbosius ista suggerendo; de vobis, æmuli, vobis, ajo, sollicitus sum; vestraque causa hæc inculco, & quæ sequentur: ut melius vobis esse possit, quam hæc vestra, non in me tantùm (ut dictum jam satis est) sed in Patriam nostram, cujus à vobis, per me ita læsum latus foditur, directa meretur injuria.

Sin verò inemendabiles pergatis maledicere, atq; injurias continuare; non ferociam ego vestram imita-

tus, sed quæ Christianæ erunt militiæ arma, meditatus, Davidis usitata solatia & precamina, adversus hostilem rabiem, iterabo & assumam.

Miserere mei Deus, miserere mei: Quoniam in te *Psal.57.v.1.*
confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo,
donec transeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiss. De- *v. 2.*
um consumentem, quod contra me est. Anima mea in
medio LEONUM dormit: Filii hominum sunt flammæ: *4.*
Dentes eorum lanceæ & sagittæ: Lingua eorũ gladius
acutus. Deus contere dentes eorum in ore ipsorũ: Mo- *Psal.58.v 6.*
lares LEONUM confringe Domine. Inimici mei di- *Ps 41 v.5.7.*
xerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen
ejus (~~inquiunt~~) Simul adversus me susurrabant: Cogita-
bant mala mihi. Os dolosi apertum est super me, locuti *Psal. 109. 2.*
sunt adversum me lingua dolosa. Et sermonibus odii *v 3. 4.*
circumdederunt me. At tu Domine fac mecum propter *28.*
nomen tuum, quia bona est misericordia tua. Maledi- *Psal.140. &*
cant illi, & tu benedices Eripe me Domine ab homine *43. utrobiq;*
malo, iniquo & doloso: & à viro violento serva me. *v.1.*
Qui cogitant mala in corde, tota die congregant prælia. *2.*
Ab hominibus violentis serva me, qui cogitaverunt sup- *4.*
plantare gressus meos. Muta fiant labia dolosa, &c. *Psal.31. 19.*

*Hess.*

Impia turba suo confusa pudore feratur,
Mutescat Stygios impius ante lacus.
Mendaces sileant de justo falsa loquentes:
Dum fastu nimio turgida corda gerunt.

Nunc in ea parte Orationis, æmuli, versor, quà, ut dixi, vobis potissimũ consultũ volui: dixiq;, quomodo illam infamiæ notam, resipiendo vitare debeatis, quæ *II.* facit, ut præterquam, quod in me, etiam in patriam, imò, *Expostulatio* & ipsos vos iniquiores videamini. Ubi tamẽ adhuc latet *de violata* quiddam; quo inemendato, nomini vestro certam la- *amicitia.*

 bem

labem aspergetis. Hic namque inter alia, in mentem revocetis velim: Non ultimos vestrum sacro olim amicitiæ vinculo mihi sese astrinxisse: quam dum violastis, Divina humanaque jura violastis, hac sanè in parte: quum eam in odium & calumniam à vestra parte degenerare sivistis. Ubi rursus cum experientissimo Psalte verè dicam. Retribuebant mihi mala pro bonis: Orbitatem animæ meæ. Cum (aliquando satis periculose) ægroti essent, induebar (quasi) cilicio, &c. & oratio mea in sinu meo vertebatur, &c. ut sc. melius haberent.

*Psal. 35. v.12. 13.*

Quænam verò illa metamorphosis tam subitanea, ac interim clandestina & clancularia? Quos me amicos habere & habiturum in posterum rebar, nil nisi calumniosum & hostile spirant. Ab amicis omninò, licet fictis, circumventus sum: de quo variis modis, si prolixitatis tenear studio, queri possem. Sed objicient: atque ad indolem talis animi excusandam, morem vulgarem Poetæ verbis allegent;

Trita frequensque via est, per amici fallere nomen;
Sed respondemus ex eodem.
Trita frequensque licet sit via, crimen habet.

Nil sanè, mei æmuli, de ejusmodi suspicabar animo; ut, quum instar MARIS MORTUI, nullis agitati ventorum flatib. vivatis, & desint inimici, qui se vobis opponant; & in quos sæviatis (vestra sc. magnificentia digni) fore, ut amicos, nihil commeritos impeteretis atque splendidam in hos bilem, ita clanculum evomeretis: ac insuper causam rogati, nullam vel prætendere tantùm possetis. Quare jam Martialis illa ad suum Sabidium cantilena vestra sit:

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere, QVARE:
Hoc saltem possum dicere; NON AMO TE.

Nam

Nam quum Siracidæ consilium passim à vobis posthabitum (nolo spretum dicere) iri, animadvertam, verisimile est, isto Martialis contentos esse responso, quo de deserto amico rationem reddatis. Porrò Siracides, aliter de amici cultura tulit: aliter & longè honestius consuluit. Levitas est, inquit, nimium esse credulum: & qui patitur se falli, sibi ipsi infert damnum, &c. Eloquere primùm proximo tuo: forsitan id mali non fecit. Convenias ea causa proximũ tuum: forsan id mali non est locutus. Alloquaris primò amicum tuũ: sæpe mendaciter traducuntur homines. Non ergo omnia credas, quæ audis, &c. Primum igitur alloquere amicũ tuum, antequam tumultueris apud ipsum; & cogita de Dei mandato. Timor Dei facit, ut prudenter te geras in omnibus factis: & præceptũ Dei, ut sapienter agas in omnib. negotiis, &c.

*Siracid. cap. 19.*

Utinam vero his auscultassent æmuli, & rem prius apud me verbis experiri, (vel ex Comici monito) voluissent; quam per armatas & aculeatas linguas, ex amicis in calumniatores & hostes degenerâssent: Melius hercle cum utrisq; actum foret. Ohe! quam fædum, quâm spurcum, quam immane est, virulentiæ & amarulentiæ suæ spumã, in amicos etiam aliquid cõmeritos (ne dum insontes) despumare: Cujus mali causam, veræque apud vos Delatores amicitiæ obstaculum ratiocinatione non vana, jam tandem assequor: quod quia nullum vos profertis, ego tacendum haut duxi. Nempe quia in re lautiore plærique estis, vel sanè talium gnatones. Unde pro ingenii & virtutis qualitate vestræ, quidvis in tenuiores vobis licere, persuasum forsan habeatis. Mihi interim incauto & imprudenti, merito succenseo (ut cui amicitia vestra aliquando arriserit) illamque Dionysii Siciliæ tyranni, cum Platone μικροφιλίαν (quomodo eam ipse

*Ἀφιλίας apud æmulos, quæ vera causa.*

Plato vocabat) vestramque & vestri similium λυκοφιλίαν, agnoscere disco: verùm serâ illâ, ecastor, Phrygum sapientiâ. Tandem nihilominus, etsi mihi olim cum pluribus hoc nomine à vobis deceptis,

Dulcis inexperto cultura potentis amici;

Expertus metuam, Horatii verbis ad rem præsentem paulùm inflexis. Nam ut noster ille inquit Sapiens; *Siracid.13.* Quid vas fictile conversabitur ollæ æneæ? Dives injuriam facit pauperi, & adhuc insolenter insultat: Pauper *Amicitia impar, periculosa.* cogitur ferre; & insuper gratias agere, &c. Id quod alterius Lycei Sophus, hoc fere modo expressit:

*Iuven.*

—Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Quod si, ut Satyricùm nimis, respuatis æmuli, Siraciden iterum audite. *Siracid.13.* Dum commoditatem, inquit, ex te capit (Dives) utitur te, &c. *Ditiorum quorundam mores.* Postea conspuit te, &c. & mox: Conjunctio pauperis & divitis perinde est, ac si hyæna canibus copuletur. Sicut leo devorat bestias in sylva, ita divitum præda sunt pauperes. Sicut omnis superbus nihili pendit ea, quæ sunt exigua; ita dives aspernatur pauperes. Hæc is. Vid. Prov. etiam cap.19. &c.

Quæ quum præclarissima omnia; tamen illud in primis memorabile est, quod de hyæna attulit Sapiens: *Hyæna, quale monstrũ.* Quæ præ monstris Africanis, nescio quid peculiare habere fertur: nempe, quod sit vultu blando ac virgineo, oculis colorem variè mutantibus, caninis prædita pedibus, quæ & vocem humanam imitetur; & simulatione lachrymarum, etiam nominatim pastores ex stabulis evocet: & canes, imitatione vomitus humani alliciat, & deprehensos devoret: etiam sepulcra mortuorum eruat: & cujus umbræ contagio, canes obmutescant, &c.

Hæc

Hæc ſuper Hyæna Clariſſ. Chytræus, in c, 13. Siracid. cujus monſtri mores, ad amicitiam divitum quorundam (nec enim omnes ſub eandem Myconum) cum pauperibus, digito monſtrante Siracid. accommodare, nec difficile foret, nec injucundum; ita ut protaſi membratim ſua reſponderet apodoſis.

Sed pergo, & ad ſuperiora illud Ciceronis adjungo: Dum ait eſſe, qui in rebus humanis nil quicquam boni norint, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos tanquam pecudes eos potiſsimum deligant, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. *Lælio.*

Unde cum Poëta ſeculi hunc morem meritò deploramus perditiſsimum.

Illud AMICITIÆ quondam venerabile nomen Proſtat, & in quæſtu pro MERETRICE ſedet. *Ovid.* Et cum ipſo Cicerone iterum: Multorum opes præpotentum excludunt amicitias fideles.. Nec enim ſolum ipſa fortuna cæca eſt: Sed eos plerumque efficit cæcos etiam, quos complexa eſt: Itaque EFFERUNTUR ferè FASTIDIO & CONTUMACIA: Nec quicquam INSIPIENTE FORTUNATO INTOLERABILIUS fieri poteſt. Ita proſperis rebus ſpernuntur VETERES amicitiæ: INDULGETUR NOVIS, &c. Ecquid rem acu Orator, Delatores? Ecquis magis graphicè ingenium veſtrum delineare poterat? Quorum omnium, licet Theoriam mediocrem antea habui; ad ipſam tamen praxin, noſtri æmuli, non vulgares mihi eo, quo dictum eſt modo, magiſtri facti ſunt.

Porrò Amicitiæ ejusmodi violatione omiſſa, progredior ulterius; ut æmulis per ſalubres commonefactiones prolixius conſulatur. Quibus ſi parum eſt in me innocentem & olim amicum: & per meum ita malè tracta- *III. Tranſitio ad omnis calumnia deteſtationem.*

*quod postremum est, ad Palinodiam æmulis persuadendam Argumentū: sed paulò prolixius tractatum.*

tractati, latus in patriam, iniquos & impios fuisse: Siquę parum, inquā est, illos ipsos, ipsis sibi minus æquos, famæ propriæ, tam crudis & crudelibus injuriis, integritatem invidisse: quæ hactenus utcunque ventilata sunt; ad ea quæ jam adhuc dicturus sum, non minus ponderosa, animum quæso advertant, nec supina mente, aut alioqui odio & tædio mei præoccupata, vel contumaciæ calle obducta excipiant.

Non enim famæ solùm illorum interest; sed incolumitatis, sed salutis propriæ; ut à cœpta injuria desistant. Quod ut fiat planius; quædam de LIVORIS & INVIDIÆ, quibus Calumniam progigni, superius diximus, indole paulò altius repetenda veniunt, ne æmuli, quibus, quâ fas est, medicari constituimus, Venena non agnita, ulterius circumferant, foveantve. Fœcundum sc. malum est, & mentibus humanis perniciosissimum, sive LIVOREM nomines, sive INVIDIAM; sive ad Ciceronis nutum, INVIDENTIAM (promiscuè autē invidiæ & livoris nomine, vulgato more, utemur quandoq;) mox alia toxica, naturæ cognatione attrahens, & sibi associans: ut sunt; odium, ira, furor, mendacium, &c. quò sc. tantò validiorem fœtū, quæ Calumnia est, excludat.

*Livoris & Invidiæ descriptio.*

Nec enim nisi devoratis serpentibus, provenit draco. Malum, inquam, etsi læsis plerumq; satis nocens: ac aliâs exitiale; lędentibus tamen, sive ipsis invidiosis, inprimis nocentissimum. Vipera namque est Invidia, habentium (ut matrum) ventrem, cor & exta, dum in lucem editur, corrodens. Quâ de re Sapientum Schola iterum adeunda est: sine quorum responsis, frustra cum æmulis disceptatur, & vereor, ne cum his etiam. Ista verò responsa in varia Invidiæ descriptione consistunt, quam primùm hîc Andreas Alciatus, non vulgaris scientiæ vates exhibebit.

*Invidia vipera est.*

*Emblem.*

Squa-

Squalida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuique dolent oculi, quæque suum cor edit;
Quam macies & pallor habent; spinosaq; gestat
Tela manu; talis pingitur INVIDIA.

De Polypo pisce refertur; eum proprias carnes, sed non nisi extremâ esurie adactum, rodere. Ast Invidus, licet ipse abundet, tamen alienæ felicitatis si sit spectator, macrescit & marcescit alienis successib. Unde à Poëtis, livor edax, agnominatur, quod ipsos lividos & invidos, ut dictum, exedat & consumat: His vitiis (livori & invidiæ) conjunctus, ac veluti continguus affectus est vehementissimus, IRA: nunquam sine tormento sui ipsius: Dolorem enim ubi inferre vult, patitur: atque idcirco, ut canes oculis captos catellos, cæcas parit criminationes: quod & hoc loco hostibus usu venisse meis, nemo non fatebitur. Sed objectionem paratam video. Quidnam sc. invidendum hostes in me animadvertant; Siquidem illorum præcipui, multis & maximis ad vitam beatam vulgò requisitis, me longè superent? Siste pedem opponens: nondum omnia dixi. Modò sortem Invidorum, Polypi piscis, deteriorem perstrinxi: quod illi idem, non ut Polypus extrema actus necessitate; sed haut coacti facerent. Causam ejus crudelitatis, reddit ille Romanæ eloquentiæ & Sapientiæ parens, Tullius, definiendo invidiam, esse ægritudinem animi ex alterius rebus secundis ortam. In quam sententiam notum est, quod Anacharsis Philosophus, roganti responderit: Cur homines subinde tristarentur? Quia, inquiebat, non solum propria mala iis molesta sunt; sed etiam aliena bona. Rotundè prorsus. Nam licet tristitiam diversi in vita casus causari solent: Tamen is

*Invidia Polypo comparata.*

*Occurritur objectioni.*

*Invidia, Tullio, quid?*

*Anacharsis de invidis responsum.*

tristissimus & teterrimus est affectus, qui est ab invidia. Quo etiam spectat illud Publii, de Mutio quodam Romano, præter solitum tristiore: Aut Mutio, ait, nescio quid molesti accidit; aut nescio quid alicui boni. Ita meis æmulis, omni ex parte, seculi more & judicio, beatis, res attestatur ipsa satis esse ad ægritudinem, si mihi non prorsus malè esse videant (cum antea odium latens conceperint) aut si Dn. Gudbrandi inimicitiam, mihi conciliare nequeant: quod superius fuit. A Philosophorum verò sententia, circa invidiam, non abludit
Psal. 112. aphorismus Davidicus. Impius videbit (piis non omninò male suas res succedere) & irascetur: dentibus suis fremet: & tabescet, &c. Quare jam Livoris hos & Invidiæ, in proprios dominos (Servos, mihi mens dictabat) quam alios etiam, effectus pessimos, Nasonis Musa repetat ac explicet; ita in Metamorph. canentis:

— Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
INVIDIAM, visaque oculos avertit: At illa
Surgit humo Pigrè, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi movere dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Et videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum: carpitque & carpitur unà
Suppliciumque sui est —

Estque talis in ipsam se suosque, invidia: ex parte, in alios; Cujus præterea in alienam perniciem effi-

efficacifsimum virus, fequentibus notatur fignificantifs:

— Baculumque capit, quem fpinea totum
Vincula cingebant: adopertaque nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia proterit arva,
Exuritque herbas, & fumma cacumina tangit,
Afflatuque fuo, populosque urbesq; domusq;
Polluit.

De invidia autem etfi hæc potifsimum canat Ovidius, tamen unâ neceffe eft, & filiam calumniam contineri. Nam Invidia, ut fola intelligitur, fimplex homicidium & quandam quafi αὐτοχειρίαν exercet; Quod verò præterea eidem, Alciatus & Nafo tribuunt; alieni fc: boni perniciem & depaftionem: Id filiæ calumniæ habet. Mutuas namque communicant operas; quas illico de Calumnia feorfim acturus, diftinctim tradam. Non folùm autē vipera eft invidia; fed vipera etiam deterior: Serpentes namq; venenum, quo aliis nocent, fine fuo detrimento continere, manifeftum eft. Non item Invidia (& Seneca tefte, quævis malitia) quæ habentibus, ut toties diximus, pefsima eft, & maximam veneni fui partem ipfa bibit. Invidi idcirco effe, & mali nolimus, æmuli; fi non aliorum, faltem noftra caufa: Nam

Invidia Siculi non invenere tyranni,
Tormentum majus — quam videlicet illa eadem eft, ipfis Invidis. Hinc præter adductos, aliofque ejus farinę vates, reperias tam facros quam profanos fcriptores, in Invidiam fummê invectos: ut Bafilium: Proprium Diaboli malum eft invidia: quæ nec enunciari poteft, nec medicinam recipit. Heus, invide, quid gemis? Tuum malum? an alienum bonum? Item Profper: Quis ei

poteſt ſubvenire, qui ſe ſibi exhibet invidendo carnificem? Sic Nazianzen: Cyprian.&c. Itemque ex profanis, Euripides. (quanquam benè conſulendo, quis profanus?) Invidia peſsimum quid eſt: Habet tamen aliquid boni in ſe (ſc. aliorum reſpectu) nam invidentium oculos & cor conſumit. Sic alii, &c.

*In calumnia triplex homicidium.* Jam verò maternas laudes, filia Calumnia excipiat: Cui de Doctorum ſententia, triplex homicidium aſsignamus. Etenim ſeipſos (ut invidi) Deinde auſcultantes & calumniæ credulos: tum eos quibus fit calumnia, peſſundare cenſendi ſunt calumniatores. Cujus propoſiti veritatem lubet ex utriuſque divini magiſtri (Siracidæ & Salomonis) Ethica Chriſtiana deducere: ut à calumniæ perditiſsimo vitio, quilibet ac etiam æmuli, tantò in poſterum magis, tantoque virilius & conſtantius abhorreant. Hæc autem ſi exemplis nonnullis interpolentur, Lectoris Palato optamus non fore ingratum vel inſipidum.

*Cap. 5.* Ac de primà quidem homicidii iſtiuſmodi ſpecie, ita Siracides: Hominem ſæpe ſua lingua evertit, &c. Obtrectantes tandem pudefiunt,&c. Turpiſſima quidem res eſt, eſſe furem: at longè fœdius, eſſe obtrecta-*Idem 20.* torem, &c. Mendacium [citra quod nunquam eſt calumnia] in homine, turpiſſima res eſt, vulgata apud indomitos & rudes. Nec fur quidem tam ſceleratus eſt, quam homo, qui ſe ad mendacia aſſuefecit: Sed tamen *Idem ca. 28.* ad corvos relegatur uterque. Rurſus: Qui clanculum pungit [ſc. alios] hic ſauciat ſeipſum.

*Cap. 6. Proverb.* Tum Salomon. Sex ſunt quæ odit Dominus: & ſeptimum deteſtatur anima ejus. 1. Oculos ſublimes. 2. Linguam mendacem. 3, Manus effundentes ſangui-

nem innoxium. 4. Cor machinans cogitationes pessimas. 5. Pedes veloces, currentes in malum. 6. Proferentem mendacia: testem fallacem. 7. Et eum qui seminat discordias, &c.

Idem. Qui perversi est cordis, non inveniet bonum: Qui pervertit linguam, incidet in malum. Et adhuc. De fructu oris viri, replebitur venter ejus: & proventus labiorum ipsius, saturabunt eum. Mors & vita sunt in potestate linguæ, qui diligunt eam, comedent fructus ejus, &c. Tum Div. Johannes: Omnis qui odit (quid? si odio calumnias addat?) fratrem suum, homicida est: Homicidæ verò etiam seipsos occîdunt, quum sibi mortis reatum accersant. Quibus addas Euripidæum illud: Effrenis linguæ finis est calamitas. Hæc verò ita esse, tam sacræ, quàm paganorum testantur Historiæ: Quæ quia & prolixiores sunt commemoratu, & alioquî omnibus obviæ; exemplo uno aut altero sacri codicis contentum esse oportet: ut inprimis impiæ Jezabelis, ob suam contra Nabothum calumniam, ex fenestrâ domus præcipitatæ, equorum ungulis contritæ, à canibus discerptæ. Nec Haman similibus adversus Mardochæum fructibus, nisi suspendium suum lucratur: & calumniatorum Susannæ exitum, nullus est, qui ignorat. Sed illud maximê horrendum & tragicum est, in Chorah, Datan & Abiron, unà cum sociis 250. eorumque conjugibus, liberis, servis, suppellectile, & tentoriis terra absorptis, punitæ calumniæ exemplum; cum eo, quod in calumniatoribus Danielis editum legimus.

*Proverb. 17.* *Ibid. 18.* *1. Joh. 3.* *Regina Jezabel.* *Haman.* *Susan. Calumniatores.* *Chor. Dat. Ab. Num. 16*

Pluribus supersedens, alterum in calumnia homicidium, mox subjunctim expono contra quod ita concionatur & consulit Siracides; Non commoveat te

*II. In Calumnia homicidium.* *Sirac. 5.*

 quic-

quicquam [ac ne Calumniatorum quidem susurri] ut erga amicum mutes voluntatem, &c. Si quid de proximo tuo audis mali, noli prodere, &c. modò id salva conscientiâ tacere poteris. Abditum hoc sit, tecumq; sepeliatur, & habebis conscientiam quietam. [q. d. sin minus, inquietam, ut sequitur] Quum verbum aliquod [ab obtrectatoribus acceptum] est in corde stulti, perinde est, atque telum in fœmore [donec sc: effutiat] Susurrones & linguæ virulentæ, sunt maledictæ: quia apud multos TURBANT PACEM. Os obtrectatoris, linguâ virulentâ, multos facit DISCORDES. &c. Dirimit urbes, &c. Qui paret obtrectatrici linguæ, irrequietus est: & nusquam manere potest in Pace. Ita secundo modo, Calumnia suum virus, adeoque mortis reatum, in eos, quos sibi nimium habet credulos, transfundit. Nec hujus exempla requirenti, longa foret investigatio. Anne Danielis calumniatores, R. Darium ad injustissimam Prophetæ condemnationem, ipsi judici, reatum homicidii contrahentem, impulerunt? Quamquam parum aberat; quin Hamanis versuti calumniæ R. Assuerum, ad crudelissimam innocentissimæ Judæorum gentis internecionem exagitassent; ut in exemplis iisdem persistamus. Atq; hoc est, quod modò Siracides: de discordiâ & turbatâ, Calumniatorum artibus, Pace, dicebat: ut antea de Invidiâ (sed calumniæ mixtâ) Ovidius: Afflatuque suo, populosque urbesque domusque polluit.

*Sirac: 19.* *Idem 28.*

*III. In Calumnia homicidium*

Restat ut tertii generis homicidium Calumniâ commissum, tum S. literarum placitis, tum earundem, ac etiam aliis exemplis, ad rerum eventum applicetur: quod illum, qui hac afficitur injuriâ, concernit: De

quò ſic noſter Siracides: Multi ceciderunt per aciem gladii: ſed non ita multi, quam per linguas virulentas, &c. Beatus vir, qui cuſtoditur ab ore violento: & ab eo non affligitur: & jugum ejus non portat: & ejus caſſibus non irretitur. Nam jugum ejus ferreum & laquei ejus ænei, afflictio ejus acerbior morte & inferno, &c. Quid verò ſapientum ille ſapientiſſimus, etiam hac de re, in ſuis ad vitam tranquillam parabolis? Eſt, inquit: qui pronunciat ſimilia transfodienti gladio. Item: ut jaculum & gladius & ſagitta acuta eſt vir, teſtans contra proximum ſuum falſum teſtimonium, &c. Ut igitur Jaculum, Gladius, Sagitta, ei, quem petunt, necem inferunt: ita linguâ viri iſtius falſidici. Illud verò non de aperto ſaltem & forenſi teſtimonio, accipiendum eſt: Sed clanculario & calumnioſo etiam: Unde interpretum quidam: Lædit latenter teſtimonium falſum; eoque nocentius, quò abſtruſius fertur, &c. Falſum porro teſtimonium, pœna capitalis in populo Dei, homicidio æquabat. Sed & adhuc Salomon: Generatio eſt, cujus dentes ſunt gladii, & molares cultri ad conſumendum pauperes, &c. Cujuſmodi metaphoras, à parente Rege, Rex ipſe, Salom: mutuatus fuerat: uti ex Pſalm. 55. v. 22. & 57. v. 4. potiſſimum, cernere eſt. Porrò hanc calumniæ peſtem, tertii nempe generis homicidium diſertè perſtrinxit, celebris, Reip: Hamb: Eccleſiaſtes, Dn, Magiſt. Georgius Dedekennus, Opere Germ: pro Tentatis, in hæc verba:

*Sirac. 28.*
*Prov. 12.*
*Ibid. 24.*
*Georg. Rem: IuriſConſultus in ſuo Spicilegio Prov.*
*Proverb. 3.*
*Part. 3 cap. 3. pagin. 31. edit. II.*

Was ſind aber ſolche Feinde/die ſich den Kindern Gottes zu wider ſetzen? Der Teuffel mit ſeinem Reich: Nicht allein mit dem Helliſchen Reich/ vnd deſſen gewaltigen Pforten: Son-

Sondern auch mit dem Reich/darinnen er zu dieser zeit herrschet: Nemlich/mit den Kindern des Vnglaubens/mit den Gottlosen Menschen/als es Paulus beschreibet/Ephes. 2.v.2. Er/der Fürst der Finsterniß selbst lesset an sich vnd allem/was er vermag/nichtes mangeln/den Kindern Gottes ihr Leben sawr zu machen: Vnd wann er es sonst nicht alles nach seinem wolgefallen/außführen vnd vollenbringen kan/So setzet er jhnen seine liebe getrewe Werckzeuge entgegen/auff daß sie also von denselben (so weit es der fromme Gott verhengen vnd zulassen wil) mügen verzehret werden/Galat.5.v.15. Diß machet er also/daß er derselbigen bößhafftigen Gottlosen Leute Hertzen/gegen solche fromme/vnschüldige Gottliebende Christen/mit Erbitterung/Mißgunst/Haß/Groll vnd Neide verhetzet: Vnd dann allgemach auß solcher bösen Wurtzel/alle böse Früchte herfür zeucht/etc. Dem einen müssen sich die Gottlosen/als des Teuffels Werckzeug widersitzen/mit freventlicher/tyrannischer Feindtschafft/in allerhandt verfolgung vnd thätlicher boßheit: Ob sie/wie Lewen/die Seele erhaschen/vnd mit Gewalt vnterdrücken oder zureissen mögen/Psal.7.& 10. Dem andern/müssen sie zu wider seyn mit verdachter Feindtschafft/rc. Ihr Rache ist ein offen Grab/Psal.5. Sie lawren nach dem vnschüldigen heimlich/vnd halten jhre Augen auff jhn/Psal.10. Vnd solche Feinde sind die allerbösesten Feinde/etc.

Andere gebraucht der Teuffel zu Lästerfeinden/daß sie müssen hinter dem vnschüldigen hergehen/mit liegen vnd triegen/jhn bey andern in argwohn vnd verdacht/wo nicht gar in veracht/mißgunst vñ verschmelerung zu setzen. Diß thut einem ehrlichen Hertzen zum weheßten für allen/auch also/daß ich gewiß halte/mancher erlitte viel lieber schaden an seinem Leben/als eine vnverschuldete verkleinerung/an seinem guten Namen.

Wo aber der Teuffel solches weiß / da treibt er diß Spiel zum aller härtesten / vnd setzet auff solcher seiner getrewen Mundtbotten Zungen/ gar mit all greßligkeit zum hefftigsten/ enthebet sie alles hinderdenckend/ beraubt jhnen die Redligkeit jhres Gemüthes/ das sie vngeschewet außgiessen alles / was er jhnen auff die SchandZunge leget/ vnd auß jhrem Lästermaul wircket. Kein Lügen ist jhnen zu groß : kein Schmähen zu viel: Sie thun was sie nur gedencken: Sie vornichten alles / vnd reden vbel davon / vnd lästern hoch her / sagt David/ etc. Alles auß jhrem Vater dem Teuffel/ Joh. 8. welcher in jhnen wohnet/ Luc. 22. Hierneben hetzet der Teuffel einem solchen Gottlosen viel andere Gottlose mehr zu/ hülffe an: welche sich zugleich / als Spießgenossen vnd Rottsgesellen / lassen gebrauchen/ damit er müge sieben bey sich haben/ die erger seyn als er selbst: vnd der eine außführe/ was der ander fort zubringen etwa nicht vermüge. Da gehet es dann nach all jhrem wunsch für sich: Ein jeder vnter jhnen/ vnd der Teuffel zu jhnen theilet sich an seinen Ort (dann sie gehen auß/ als die Hellische Lügenboten/ in die gantze Stadt/ in das gantze Landt vnd wor sie den vnschüldigen schaden zu thun sich vermuhten) vnd schlagen mit jhren faulen Zungen gewaltig auff den vnschüldigen zu: Liegen vnd lästern das gröbeste auß der Hellen herauß/ ohn allen schamroth / in gewisser hoffnung/ etwas bekleben bleiben: wie auch in sich wahr ist. Die Welt ist leichtfertig / sonderlich in solchem schwätzen : Viel gläuben bald solchen Teuffels kläffern/ vnd verlogenen Ehrendieben / haltens für Warheit/ was sie bringen/ vnd erzehlens wol andern zur newen Zeitung wider/ etc. Als denn lachet der Teuffel/ vnd seine Hertzen freunde/ ins Fäustlein. Et post pauca : Was diß sey / Ach/ ach was es sey: Ja/ wie es einem vnschüldigen Christen vber die masse ans Hertze stosse / vnd welch ein zweyschnei-

schneidiges Seelen schwerdt es sey / Das gläubet niemandt: Sondern Gott weiß es/vnd der/welcher es in der that belebet/ vnd erfahren hat. Alles was der Teuffel hierinnen schaffet/ alles/was die Schandmäuler verrichten / was ihre Spießgesellen mit hin zu thun/ was die leichtgleubige Welt darinn vermehret: Vnd alles/was auß der gantzen sachen folget / das zielet nach diesem einen Hertzen: Das eine Hertze muß es leiden/das wird zu tausent/ tausent mahlen mit newen Wunden gestochen / das wird verzehret vnd gefressen/etc. Hactenus M. Dedekennus; loco citato,&c.

Quem si quis, ut Calumniatores, asperius ac liberius perstringentem, minus æquis excipiat auribus; is Davidem simul auscultet: Acuerunt, inquit, linguas suas, sicut serpentes: Venenum aspidum sub labiis eorum. Et iterum: Furor illis, secundùm furorem serpentum & aspidis. Unde, ut doctissimus tradit Joh. Pierius; celebratum est illud δῆγμα ἀσπίδος; quum virulentum & immedicabile Vulnus intelligi volumus. Aspidum namque ictui (ait) vel nullum vel rarum admodum remedium inveniri, tradit Ælianus: compertumque est, ictu læsos ejusmodi, vix horis 4. superfuisse. Et Moses Cantico: Venenum aspidum, ait, insanabile. Eustathius tradit; Aspidem, morsu somnum lethiferum inducere. Plinius; eâ percussos torpere, & somno necari,&c. Ac iterum; ibid: Incomparabilis porrò est, in Angue furor: Qui simul ac se læsum sensit, ita vesanè furit, ut nunquam absistat, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur,&c. Sic ex Euthymio ac aliis, Pierius.

Psal. 140. & 58.

Hieroglyticū Lib. 14.

Non quæro diverticula; nec dilationes aucupor Rhetoricas: Sin minus; illud in angue & calumniatoribus, impar venenum, perpendi juberem; quòd illa vix

vix nisi læsa & irritata; hi etiam non læsi, nec provocati noceant: Adderemque de serpentib. illis commentatiunculam: quos cum magnâ copiâ insula quædam proferat, incolis tamen sunt innoxii: advenis tantùm pestiferi. Quod naturæ miraculum, si cum nostris anguibus malis, an Calumniatoribus, conferre, rem contrario plane modo sese habere, depræhendemus. Illi enim quum exteros quosvis, penè adorent; inquilinos præcipuè morsu inficiunt: multorum exemplo, & rerum, non uno eventu contestante. Sed ejusmodi digressionibus posthabitis, æmuli, in calumniæ studio vituperando & dissuadendo, cottiumus. Ad quam rem præterea, vix aliud desideretis, quam tertii hujus homicidii, calumnia patrati, exempla: Tristia quidem illa, sed lethiferum ejusdem virus, apertius monstrantia; nec idcirco pede sicco transeunda. Atque ut sacram primò libemus historiam; Quis Josephi Patriarchæ; uxoris herilis calumnia traducti carcerem ignorat? Quis 85: Sacerdotum, cruentam stragem, preter universorum civium, Oppidi Nobe, etiam mulierum & parvulorum, internecionem, unius Doëg Idumæi delatoribus & calumniis promotam, non audivit? Quis Nabothum falsis Jezabelis criminationibus, saxis obrutum non legit? Quem quæso, Danielis & sociorum fata crudelia latent? Quis Susannæ periculum non doluit? Cui ipsius Jesu Christi innocentissimi; Cui div. Stephani & reliquorum, &c. Sors incognita? Cui div. Eustathius (Nam etiam tales, sacris annumeramus) Episcopatu calumniis dejectus? Aut div: pariter Athanasius ter potissimum, impudentiss. mendacio & calumniâ petitus, ter quoque illustri victor innocentiâ, ac nihilominus tandem malevolis cedere coactus,

NB.

*Tertii generis homicidii, Calumnia perpetrati exempla.*

actus, ignoti esse poterint. Cui ille, talem immeritam summorum virorum fortunam; ut Anaxagoræ fugam, Socratis venenum, Zenonis tormenta (præter Canios, Senecas, Soranos) magnificè declamans, ac tandem parem cum his fortunæ auram & aleam, Calumniatorum proterviâ expertus, Severinus Boëtius, non innotuit? Et ut profana quoq; attingamus; Quid Socratem (modò dictum) vitâ? Quid civitate Rutilium expulit? Calumnia. Quid Phrygium illum Æsopum, non vulgaris Sapientiæ, apologis conceptæ, indagatorem, de rupe excelsa, præcipitem egit? Calumnia. Quid Furium Camillum, tanquam Vejentanæ pecuniæ, impudentem peculatorem, ferreis subegit sententiis? Calumnia. Quid Scipionem Africanum, similiter peculatus insimulatum (at quantos viros?) carcere infami mulctavit? Calumnia. Quid Africanum posteriorem, inultum sivit esse occisum? Calumnia. Quid publ. Lentulum, clarissimum, inter reliquos istos civem, specie liberæ legationis, at concione prius ad ingratissimam Patriam habitâ, exilio dedecoravit? Calumnia. Quidve tandem avorum memoria, strenuissimum & præclarissimum, Justiniani I. Imp. ducem belli, Belisarium, ex Persarum, Gothorum, Vandalorumque Regum victore; Siciliæ, Africæ, Italiæ, parvo militum numero, minoreque expensa (ut historiæ habent) recuperatore: disciplinæ militaris restitutore; & Regni Italici oblati recusatore, subitò Domini, & iniquè mutatâ gratiâ, mox ejus jussu excæcatum, & omnibus vitæ subsidiis, exutum; stipem in triviis mendicare; & miserabili voce: Nummum pusillum, Bellisario date, &c. rogare coëgit? Calumnia sanè, cum matre, virtutum illâ frequenti, sed ingrata comi-

comite, INVIDIA coegit. Et jam demum, mei Delatores, puto satis causæ allatum, quamobrem teterrimæ Calumniæ vitio, nuncium remittatis: utpote cujus virus, præterquam quod aliis sit pestiferum, etiam famam vestram, corpus, cor & conscientiam invadat & inficiat.

Quod si cuiquam eorum, quæ cum mundanam hac periodo finem capiunt, vilis est jactura! quam tantam amentiam procul à vobis abesse velitis (ne videamini Ethnicarum saltem virtutum initia nondum attigisse, quorum nonnulli, ad nescio quam extra mundanam beatitudinem aspirabant) Si tamen inquam adeò quisquam desipiat; huc etiamnum adesto: & quomodo amarulentia cordis, linguæque violentia & virulentia, non modò in viliorem hominis calumniis dediti, partem morte videlicet, ut ita loquar, occidentalem & interituram; Sed etiam in nobiliorem illam, quæ animæ vel Spiritus nomine venit, vel maximè agit; suaque damna identidem in alterius seculi vitam, proroget ac transmittat, nisi maturè & seriò emendetur audiat, animadvertat, expendat. Sed neque hanc partem meis verbis, verùm ab ipso Numine (cujus sacrosancta, etiam æmulis, ut spero, oracula & autoritas) præscriptis mihi sententiis, contexam: quod ne tædio sit delatoribus, vel per salutem eorundem, ipsos obtestor. Caput itaque & quod summum est, in Calumnia malum, etsi ex dictis quoddammodo colligere est; tamen ex abundanti, sequentibus, ita quoque explicatur;

Susurrones enim ut & antea ex Siracide fuerat, & linguæ virulentæ, sunt MALEDICTÆ. Præterea ABOMINATIONI sunt ut divinissimus, Ethicus scripse- Sirac. 28 Prov. 12.

Prov. 18. ſcripſerat; Jehovæ labia fallacia. Idem de aphoriſmo
ejusdem ſuperius allegato: Quod mors & vita ſint in
Cap. 20. poteſtate linguæ; ſentiendum eſt: Ubi mortem SE-
CUNDAM, de qua Apocalypſis, intelligi, Salomoni
Jacob. 3. ſuffragatus Apoſtolus docet his verbis: Lingua puſillum membrum, &c. inflammata à GEHENNA, &c.
Proverb. 6. Et nuper ex Salomone, Catalogum habuimus eorum,
quæ ſummo odio Deus averſetur; ubi quum ſecundo &
ſexto loco lingua mendoſa & mendax perſtringatur:
ſeptimo ſunt diſcordiarum proſeminatores, calumniis
addicti, quos peculiari ABOMINATIONE proſequatur
Prov 13. et 17. altiſsimus. In quâ [illegible] ſic idem pergit inferius:
fructu oris ſui quiſque fruetur bonus: ANIMA perfidioſorum, fructu violentiæ. Perverſus animo, non conſequetur bonum: & verſutus lingua, incidet in malum:
teſtis falſitatum non erit impunitus: & conflator mendaciorũ non proripiet ſe, &c. Quæ omnia licet primam
in calumnia, homicidii ſitam ſpeciem; explicare videantur; tamen non eam ſolam: Additur enim manifeſte ad
ſuperiora: Os improborum ABSORBET iniquitas, &
eſt omnium interpretatio alibi, ab eodem dilucida:
Sap 1. quando ait: Os, quod mentitur; OCCIDIT ANIMAM,
Propheta itidem, inter alios in civitate SANGUINUM,
Ezech. 22. etiã calumniatores & detractores graviſſimis minis exercet.
Tum Div. Apoſtolus, proditores, calumniatores, in-
Timoth. 3. gratos, &c. Atheis inprimis hominibus æquat & accen-
Luc. 11. ſet. Ipſe quoq; Baptiſta, digitum q. in calumniam intendit,
eamque ſub graviſſimo ſupplicio, nominatim vetuit.
Quid ipſe Rex ſimul & Propheta; nonne in hoc ſcelere
Psal. 6. deteſtando & diris vovendo, totus eſt? Perdes ait, omnes
qui loquuntur mendaciũ: Virum ſanguinum & doloſum
abo-

abominabitur Dominus. Intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas super nervum [ linquam sagittis assimilatam Psal. 57. Prov. 25.] ut jaculentur in obscuro rectos corde. Pluet super eos fulgura, ignem, sulphur: & Spiritus procellarum [ suntne hæ pœnæ infernales ad animam usque pertingentes?] Pars calicis eorum. Disperdet Dominus linguam magniloquam, &c. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: & quis requiescet in monte sancto tuo? Qui, &c. non egit dolum in linguâ suâ, &c. Et convitium non fecit proximo suo, &c. Qui fecit hæc; non movebitur in æternum, &c. Ergo vi contrariorum: Quisquis egerit dolum in lingua sua, feceritque convitium (sine pœnitētia) proximo suo, &c. Non in tabernaculo Dom: neque in monte sancto habitabit: sed movebitur & quassabitur in æternum. Item, Impio dixit Deus: Quare tu enarras statuta mea: & assumis testamentum meum in os tuum? [ Estne verò illa hominis nota perditissimi; cui verbum Dei ore suo versare vetitum?] tu autē odisti disciplinam; & projecisti sermones meos retrorsum, &c. Os tuum abundat malitiâ: & lingua tua CONCINNABAT dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, &c. Hæc fecisti & tacui. Nunquid existimasti me similem esse tibi. Arguam te, & statuam ante oculos tuos, &c. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum (Estne igitur calumniari, dolos concinnare, &c. idem quod Deum OBLIVISCI? Idem sanè: & oblivisci Deum; Annon æternas pœnas, inemendatis attrahit?) INTELLIGITE, inquit, ne quando rapiam, & non sit qui eripiat, &c.

*Psal. 11.*

*Idem 12.*

*Idem 15.*

Talis est, æmuli; talis est, illa nunquam satis vituperata CALUMNIA; Deo inprimis, ut ex dictis satis æstimatur, exosa, hominibus triplici nece ( ac tandem æternâ

calumniatorum incurabilium morte) exitialis & perniciosa: A qua vos tantò magis abhorrere convenit; quanto ardentiore salutis studio propriæ, teneri optatis. Ubi si quid remissius à vobis, quàm par erat, actum & curatum est; sana monentē, ne torvè respicite: Quæ ira & odium, quæ livor & invidia, pessimi hactenus, consultores suaserunt, saniore mente despicite: Deumque & divina oculis ac animo, justo vigori restitutis, aspicite.

Cæterum tu ignosce, ô Pater cœlestis, ignosce æmulis, hostibus & calumniatoribus meis: Nesciunt enim quid faciunt: Nesciunt quo toxico animos & linguā inficiant: Nesciunt in cujus familiam, calumniis indulgendo cōcedant: cujus castra hac ratione refugiant, nesciunt: Nec quo modo Ducem suum & Imperatorem summū mutent, inconsultissimè. Nec satis illud, cœlo delapsum: NON HABITABIT JUXTA TE MALIGNUS, &c, Psal. 5. expendunt. Ne statuas illis peccatum hoc: Pro quorum salute, uti te, sancte Pater, conscio, hactenus; ita in posterum, fac vota & preces, seriò fundā. Converte illos Deus: nesciunt quid faciant, Mentium illis oculos aperi, ut à vitio tam pestilenti evigilent, mihiq; tandem parcatur.

Quod si sapiētiæ & beneplacito tuo, Pater sancte, aliter visum est: nempe ut in his ENAKIM tuus adhuc & ulterius, exerceatur Israël; fiat mi Deus, non mea, sed adoranda tua voluntas. Tu clementissime omnium largitor bonorum! Da interim veram patientiam, tuere innocentiam, excita fidem, juva invocationem & constantiam: ut umbrâ alarum tuarum (pupillæ ad morem) rectitudine & simplicitate custoditus, perseverem: nec de me hostes, ulla tali, quam parant victoria, triumphent.

EPISTO-

# EPISTOLARVM ALIQUOT, QUIBUS SUMMI IN EXTERIS VIRI, PRO INSIGNI SUA HUmanitate, Arngrimum Jonam Islandum, ornare vel alloqui, dignati sunt, exempla; ad præcedentem Apotriben Calumniæ spectantia.

L. S. *Si præstantissimorum aliquot virorum commendationes & etiam epistolæ, longè humanissimæ, ipsam Apotriben hoc loco excipiant, in vitio, candide Lector, non erit: quia nec abs re, nec intentione meâ alienum. Quod & futurum, superius condixeram: Cujusq; etiam facti, causæ plures afferri possent. Nempe non solùm hinc habeant æmuli, quod strenuè invidendo doleant; simulq; intelligant (quod superius attigeram) à quantis viris, odio mei dissideant: Amici verò de tantis, in amore mei Comitibus, an verò Ducibus, mihi sibiq; gratulentur. Posteri deniq; his quasi stimulis acti, honestæ famæ & favori bonorum, impendiò magis incumbant. BONIS inquam placeant & probent sese: horumq; judicium, tam auræ quàm odio vulgi, multis parasangis anteponant: Momos & zoilos, susq; deq; ferant.*

*Quod si præterea, mutuum in amicitia affectum; paucularum hanc Epistolarum Syllogen mihi extorsisse, & ut superioribus annecteretur, in causa etiam fuisse, profitear, an temerè fecero? Non opinor. Id enim talionis & gratitudinis exigit debitum, quod nuda verba non ubiq; exsolvunt.*

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem?
Hoc non fit verbis. Marce, ut ameris, ama.

*Inquit ille ad suum Marculum. Etenim quod summorum virorum erat, de me, vel ad me, scribendo, beneficium; Id meum, in eorundem humanitate, multarum virtutum nutrice & custode, agnoscendâ, fuerit officium.*

*Nec me, quid more suo æmuli hic oggauniant, vel minimum moverit: tantam sc. humanitatem magnis viris denegantes: doctos & superioris loci eminentiâ conspicuos, ad inferiores sese demittere vetantes, &c. Qui suam sanè cum Narcisso illo Ovidiano colant philautiam, de quo Metamorph. L. 5.*

Multi illum pueri, multæ cupiere puellæ:
Sed fuit in tenerâ tam dira superbia formâ,
Nulli illum pueri, nullæ tetigere puellæ.

*Hæc inquam fastuosis & superbis ingeniis mens esto: ut etiā, de Senetionis cujusdam, ab historicis notati,*

*tati, ſententiâ, liberè, ſed infeliciter diſputent. Qui Senetio, præcæteris, grandia amabat & affectabat. GRANDIA ſemper dicere cupiebat: Servos, niſi GRANDES, habere nolebat: Et vaſa quamvis argentea, ſi tamen non GRANDIA, reſpuebat: Concubinam ingentis ſtaturæ, adeoq́; GRANDEM deligebat: interq́; dicendum, ſummis pedum digitis inſiſtebat, quò GRANDIOR appareret, &c.*

*Tali ſanè mente & ingenio æmuli ſibi placeant, ſeq́; nobilitent: Meis interim Dominis, Præceptoribus, fautoribus, amicis ſuam virtutē, humanitate & omni modeſtia inſignitam, & q. inauratam, ſartam tectam relinquant: Qui ipſi cum Ciceroniano, De amicitia, interlocutore, agnoſcunt; imò, exemplo ſunt, Quòd NON SIT INHUMANA VIRTUS, NEQUE IMMANIS: NEQUE SUPERBA. Et rurſus:* MAXIMUM eſſe in amicitia; ſuperiorem, parem eſſe inferiori. *Læl: utrunq́; Nimirum id ſapientiſſimi viri, expendunt, ſibi, ut in ſuâ orbitâ, ſoli (ubi altiſſimè evectus, movetur tardiſſimè) ita in hujus vitæ Zodiaco, variæ ſanè altitudinis, incedendum & errandum ſeu procedendum eſſe, quò in altiore faſtigio cōſtituti, omnia ad conſtan-*

*tiam & humanitatem, imò & humilitatem (si mihi ad hanc vocem, Cicero vel Plautus præirent) circumspectè referant: Ne quando mutatâ vel minus constante fortunæ aurâ, unà etiam illi mutentur, aut de virtute periclitentur. Quare jam æmulis, cum grandi suo supercilio, ultra Sauromatas & Garamantes relegatis, meorum DDn. fautorum virtutem humanissimam juxta ac candidum eorundem de me judicium, ex Epistolis & Commendationibus ipsorum, spectanda proponam: Id quod hostes* Φιλολοιδόρυς*, vel illia ruptos, & murenarum Plinianarum (gustato aceto) instar, in rabiem actos, linguæ aculeis aliquando exarmet.*

*Hic porrò monendum: superstitum modò amicorum Epistolas, quanquam plurimæ sunt, nullas in his inveniri, ut clarissimorum D.D. Resenii & Finkii, quos semper & ubiq; honoris causa nomino. Ad quos Dei beneficio, vivos etiamnum & valentes, urgentibus æmulis, appellare liceat. Reliquorum verò amice Lector, mnemosyna epistolica, Ecce hic in promptu & obvia, atq; intensione hac meâ candide expensa, vale.*

Arng. Ionas.

*Rector*

## *Rector Academiæ Hafnienſis,*

## *M. JOHANNES AURIFABER,*

*LECTORI S.*

I.

VIRTUTE nihil pulchrius, nihil antiquius, nihil ſanctius, hanc qui colit, ſpretis mundi illecebris, id unum ſibi propoſitum habet, ut vitam ac mores, ſecundum ejus præcepta, comparet, nec quidquam admittat, quod illam offendere poſſit, aut oppugnet. In ea conſideratione, verſantur homines ingenio præditi omnes; nec quiſquam eſt, qui ab ea lubens diſcedit.

Conſideraſſe animo diligenter hoc videtur honeſtus, doctus, & modeſtus Scholæ noſtræ alumnus Arngrimus JONÆ Islandus, qui nulla maris aut tempeſtatis ſubterfugit pericula, dum modò virtute inſtructus & humanioribus ornatus literis vitam tranſigeret.

Quare: poſitis in patriâ diſciplinarum & literarum humaniorum fundamentis feliciter, ad Academiam hanc Regiam Hafniacam, maturè ſe contulit. Quòd hic Studioſi boni & honeſti officio functus ſit, multa indicio ſunt. Præceptores audivit ſemper doctiſſimos & inprimis Theologos; quibus familiariter eſt uſus.

Philoſophica didiciſſe illum, docuere nos ſatis diſputationes publicæ & privatæ, quas magna cum laude ſuſtinuit, & abſolvit.

In moribus & vita ejus, nihil etiam hactenus deſideravimus, quæ nobis toto illo tempore, quo nobiſcum vixit, egregiè probavit.

Talem itaq; Studioſum, doctum, modeſtum, bonum gratulamur Eccleſiæ Chriſti; nihil addubitantes, cum

viris bonis omnibus, in quoſcunque ſive in Patriâ, ſive alibi inciderit, probatum iri. Rogamus etiam nos eoſdem, nihil reliquum faciant, in eo promovendo; à Deo remunerationem, à nobis ſimilia officia expectantes. Vale candide Lector. Dabatur Hafniæ 5. Maij.

*Anno cIↄ Iↄ XIC.*
*Sub officii noſtri Sigillo.*

II.

*M. PETRUS HAGGÆUS, Logicus in Reg [illegible] Profeſſor, & Arngrimi Jonæ Præceptor privatus;*

*L. S.*

SApientiæ & veritatis cognoſcendæ ſtudio teneri & duci; nec pericula ulla ſubterfugere per maria & invia loca, ejus conſequendæ gratia; & magnum per ſe decus eſt; & in omnem vitæ partem res longe utiliſſima. Non ſolum enim homini nihil eſt ad laudem eruditione & ſapientia pulchrius; verumetiam ad univerſam hominum inter ipſos ſocietatem tuendam & conſervandam ipſamque adeò cœleſtis doctrinæ veritatem, cum fructu, ſineque errore, ad poſteros, integrè tranſmittendam, plurimum ea momenti affert. Quòd ſi ſacrarum quoque literarum ſerium ac indefeſſum accedat ſtudium, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare exiſtere ſolet. Viciſſim autem æquum eſt, eos, qui propter hujuſmodi fines cum Muſis, id eſt, humanitate & doctrina habent commercium, teſtimoniis honeſtis, cum diſcedunt, ornare. Etſi enim ſua cuique virtus vera demum

demum eſt & abſoluta apud ſapientes & prudentes commendatio: qui tamen in doctrinarum officinis & Academiis publicis, vitæ partem cum laude exegerunt, & in bonis literis multum profecerunt, ij, cum ad ſuos revertuntur ſine certo ac honeſto vitæ honeſtæ tranſactæ teſtimonio meritaque laude, quæ rectè factis debetur, & alios etiam ad amorem variaque benevolentiæ officia præſtanda invitat, dimittendi non ſunt. Cum igitur hic honeſtus & doctus juvenis Arngrimus Jonæ Islandus, meum aliquod teſtimonium expeteret! id ei libenter concedendum putavi. Compertum autem mihi eſt ipſum ingenio excellere, & morum gravitate præditum eſſe: eaq; naturæ ſemina aſſuefactione, diſciplina, & inſtitutione in patrio ſolo confirmata, ut ſibi redderet excultiora & auctiora, emenſo longiſſimo & viæ perplexitate tædioſo mari ex Islandia inſula, ferè etiam ultra circulum Arcticum poſita, ad Academiam Hafnienſem deveniſſe. Interea apud nos manens operam aſsiduè dedit, ut cum doctarum linguarum ac pietatis doctrina Philoſophicorum quoque Scriptorum lectionem, ac diſertæ orationis copiam conjungeret. Quinetiam publicè propoſitas in Medicâ facultate Theſes ingenioſè defendit: Et carmine publicè edito luculentum ingenii ſpecimen edidit. Quæ cum ita ſe habeant, non ſolum, tum ei, in literis ac humanitatis ſtudiis profectum laudabilem, ac Islandiæ eo nomine, fœlicitatem, ex animo gratulor: ſed viros etiam pietatis ac doctrinarum amantes, omnes quibus cum uſus ipſi intercidet, rogo, ut ei omnia humanitatis ac benevolentiæ officia præſtent: Inprimis autem filium Dei oro, ei dux, κὴ ὁδηγὸς tum itineris in patriam ſuſcepti,

tum

tum vitæ universæ ac vocationis cujuscunq; esse velit.
Dabatur Hafniæ die Maij 5. Anno 1589.

*Petrus Haggæus Logic.*
*Profes: Haf:*

## III.

## *MENSÆ SEXTÆ IN COMMUnitate Regia Hafniensi convictores, Lectori benevolo salutem.*

EAM esse senescentis hujus seculi, ad omnia vitia propensissimi, usitatam ut plurimùm consuetudinem, nullis non liquet; ut quidvis sibi in alterum permittere, cujuslibet famam & existimationem arrodere, & obliterare, incivilis, omnisque & veri & æqui ignara turba, licere putet. Quotus enim quisque est, cui tam cautè, tam feliciter, tam sapienter vitam comparare & instituere datum fuerit; ut se suaq; facta, quamvis honestissima, omnibus, quibus cum consuetudinem victus habuit, probare, nomenvè & famam à linguis illis maledicentibus vindicare, & asserere potuerit? Nam ut diversa sunt hominum palata, uti quod huic gratum, illi ingratum; quod huic acre, illi dulce esse videatur: ita quoque de bonis varia sunt judicia. Etsi enim reperiantur, qui veritatis & justitiæ studio adducti rectè de alio sentiunt; tamen longe plurimos eos habemus, qui deditâ operâ, optimorum hominum vitam & mores sugillant; idque unum agunt, ut aut obtrectando, aut detrahendo, alterius nomini labem asper-

aſpergant, flebilemq; ruinam parent. Et quidem exemplis pleni ſunt, tam ſacri libri quam prophani, quæ ſatis ſuperque commonſtrant, vel ſummos & præclariſſimos homines, peſſimorum & fœdiſſimorum obloquutorum ſtudiis è ſummo rerum faſtigio deturbatos & in extremas conjectos fuiſſe anguſtias. Etenim aliis omiſſis, illud de Themiſtochle, quale eſt? qui tantum apud Scriptores meretur encomium, ut rerum geſtarum claritate, nemo ei præferendus, pauci verò conferendi putentur. Huic cum præter cætera beneficia libertatem Athenienſis Reſpub: quam ſua virtute ab hoſtili Xerxis incurſione [illegible] eſt, acceptam referre deberet: uſque adeò tam acerbos invidorum & malevolorum expertus eſt morſus, ut nullius convictus criminis, civitate excedere, extorris huc illuc vagari, deniq́ue mortem ſibi voluntariam conſciſcere, tandem cogeretur. Adeò plena periculorum eſt hujus vitæ alea, adeò livor & maledicentia in toto mundo graſſantur, ſuamq́ue exercent tyrannidem. Hac de cauſa rectiſſimè conſuluerunt, cum ſibi, tum poſteris, qui hac perpenſa calamitate cum invexerunt, & ad nos tranſtulerunt morem, ut iter aliquo ſuſcepturi bonorum teſtimonio, ceu Satellitio quodam ſe præmunirent, & contra hoſtiles invidorum inſultus armarent. Quod animadvertens, non modò varia rerum eruditione haud leviter tinctus, verumetiã ſumma morum ſuavitate & comitate præditus juvenis ARNGRIMUS JONÆ ISLANDUS annum jam quartum, Muſis HAFNIACIS gnaviter militans, jamque patrios reviſurus lares à nobis convictoribus ſuis habitæ converſationis teſtimonii ſe compotem fore petivit; cujus honeſtiſſimæ petitioni refragari, ſceleris

K loco

loco duximus esse maximi. Nos itaque quantum, vel ab aliis accepimus, vel propria experientiâ quotidianâq; consuetudine didicimus, eum boni frugique Studiosi, officio sedulò perfunctum esse, testamur: ejus rei vel nobis tacentibus, luculentum satis testimonium HAFNIENSI perhibente Academia; Cui illè non modò in privatis sed etiam in publicis disputationibus, & exercitiis, præclarum edendo ingenii specimen diligentiam suam probavit; Tali etiam ingenio mores finxit natura aptissimos, & bonis etiam maximè probandos, ita ut propemodum dubites, utrum alteri, scilicet, doctrinæ mores, an moribus doctrinam præferas: qua in re nihil potest cuiquam esse commendatius. Vale igitur benevole lector, eumque, quem tibi non nostra solùm, sed reliquorum etiam optimorum virorum, in quorum familiaritate vixerat, testimonia & Sigilla, cum REGIÆ universitatis suffragio commendant, ama, omnibusque humanitatis officiis prosequere.

*HAFNIÆ, 6. Non: Maij.*

*Anno 1589.*

1. Christiernus Blymesterus Bandershusius.
2. Christiernus Thomæ Stadelinus.
3. Matthias Nicolaus Schanus.
4. Laurentius Caspari Fionus.
5. Otto Stephanus Islandus.
6. Iohannes Nicolai, Stadell.
7. Iohannes Christiani, Schot.
8. Wilhelmus Severinus Alburg:
9. Petrus Iohannes Viburgensis.
10. Iohannes Andreæ, Mo:
11. Iohannes Christiernus Viburgensis.

## IIII.

### *PAULUS MATTHIAS, SS. THEOlogiæ Doctor, & Professor Acad. Hafn. nec non Roschild. Superintendens; Arngrimo Jonæ Islando,*

### *S.*

*DEI GRATIAM ET PACEM.*

EX literis tuis ARNGRIME charissime video, quam verum sit illud Ovidii: est quædam flere voluptas — Expletur lachrymis, egeriturque dolor. Nam & tuus dolor videtur aliquantulum minui, quod eum in meum sinum effuderis: Quod tutò semper feceris.

Christophorus Brender numeravit mihi 20. Daleros, de aliis non sum futurus tibi molestus. Utinam alioqui spes aliqua commodioris fortunæ tibi affulgeat.

In Schola post tuum discessum hæc accidit mutatio. Doct. Andreas Laur: Collega mihi charissimus hinc in cœlestem Academiam migravit 3. Octob. Ei successit M. Georg. Dibuadius. Huic D. Andreas Coagius. Huic Ivarus, qui Scholã resignavit M. Laurentio Schavenio; Hos omnes credo te novisse, quod ad alias res nostras attinet, cognosces à domino Episcopo. Excusabis me, oro, apud Sivardum Iohannem, quod nihil ei scribam, hac vice, quia excludor brevitate temporis propter inopinatum mercatoris discessum. Salutabis eum diligenter, uxorem & liberos, si ut spero jam Pater est.

 Bene

Bene valeas in Christo Jesu, cui te & amicos omnes commendo, cum amica salutatione.

*Hafniæ postridie Jubilate*
*Anno 1590.*

V.

*JOHANNES FREDERUS S. THEOL: Doctor & Profeß: Acad. Rostoch: Arngrimo Jonæ S.*

REverende, doctißime vir, amice colende; Verè Rdo socero meo & mihi beneficium & donum perexiimium obtigisse, judico, cum ante septimanas non ita multas nos officiosè & amantißimè salutasti, & gaudeo equidem mihi facultatem conspectus, & colloquii ac sermonum tuorum, in quibus ἡ πάντα τὰ ἀνθρώπινα ἐπικοσμοῦσα χάρις inerat, præbitam fuisse: nec quicquam mihi illâ humanitatis & sermonum tuorum suavitate, vel aspectu pulcrius vel fructu lætius accidere posse videbatur. Quare memoriam illius, quamvis brevis nostræ conversationis, summa cum voluptate conservo: cujus crebra quoque renovatio est Schachtia abs te mihi donata. Accepi etiam abs te Epistolam humanißime scriptam, qua amicitiam nostram & necessitudinem mutuam stabilivisti. Gratiam igitur tibi amantißime habeo, & tuam virtutem prædico, optoque facultatem mihi & oportunitatem præberi, ut illustri genere benevolentiæ & officii meam mentem deinceps magis magisque tibi testatam faciã, & oro ut hinc tuum in me animum optimum conserves: cujus incolumitatẽ & fœlicitatem, prosperumq; in patriam Islandiam reditum,

ditum, & viam & vitam totam meis precibus, Deo opt. maximo commendare & debeo, & poſſum, & volo. Vale commodiſsimè. Dat. Roſtochii Anno cIↄ Iↄ XCII. III. Cal. Decemb. pridie S. Andreæ Apoſtoli, qui docuit Euangelium in Scytia, cujus pars eſt Ruſsia, in qua adhuc florent Eccleſiæ miniſterio Andreæ Ap. plantatæ.

## VI.

## D. JOH: FREDERUS ARNGRIMO Jonæ ISL: S.

Rnatiſsime & humaniſsime Domine Arngrime 1593. amice cariſsime, οὐκ ἔας ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις ἄνθεα; quam mihi dulces & gratæ fuerunt tuæ literæ, teſtes optatiſsimæ ſuaviſsimæque tuæ erga me benevolentiæ & amoris. Gratiam igitur me tibi debere fateor, tum pro jucundiſsimo tuo in me animo, tum pro expeditiſsimo ſcribendi officio: Gaudeoque denuò; ſuperiori anno mihi facultatem lætiſsimi conſpectus, & colloquii ac ſermonum tuorum, præbitam eſſe. Sed non modo præſentia corporum, verùm jucundiſsima quoq; eſt Epiſtolarum, quæ ab amicis mittuntur, lectio, atque haud ſcio, an non etiam gratior interdum congreſſu ipſo Quapropter & memoriam illius, licet brevioris, noſtræ conſuetudinis ſumma cum voluptate me conſervare ante (ni fallor) ſcripſi, & tibi jam deberi amantiſsimè gratiam pro ſcriptione non tantum, ſed etiam pro libri de Islandia donatione, quem eo libentius legam, quoniam - - - gratiſsima ſemper munera ſunt, autor quæ precioſa facit. Ἀντιδώρου loco orationem nepotis mei tibi mitto: Dices fortè; χάλκεα χρυσείων: ſed χαρίτων τί θυμῷ ἄριστον, &c.



Unde

Unde fit, ut & Epistolæ tuæ & Commentarius tuus, mihi gratiſs. ſint.

Non apibus flores, non amæni gratia veris
Gratior:

Ut ab iiſdem, à quibus orſus ſum, hanc Epiſtolam claudam. Dux Ulricus Friderici II. Regis Daniæ filius, ante triduum hinc diſceſsit Lipſiam: cujus celſitudini Deus adſit clementiſsimè. Bene vale. Datum Roſtochii Anno 1593. Die Pentecoſtes.

## VII.

### *M. JONAS JACOBI VENUSINUS, olim Profeſs. Acad. Hafnienſis; Arngrimo Jonæ ISL: S.*

1594. BOnus ille vir Brenderus noſter ornatiſſime, Arngrime, inſalutato abiit: quanquam ſanctiſſimè pollicitus ſit, ſine meis literis ſe non abiturum: Fato igitur vindice factum, ut jam adverſis ventis ad nos redactus ſit. Gaudeo igitur ſcribendi occaſionem, quam homo iſte, quantum in ipſo erat, mihi veteratoriè ademerat, denuo mihi datam. En igitur extemporaneum & tantùm non Laconicum reſponſum tuis literis. Primò igitur gratum mihi eſt, quòd abs te viro bono & docto amer: faxit Deus, ut vel aliqua ex parte magnificæ tuæ de me opinioni, & ſpei reſpondeam. Si Deus vitæ pepercerit & valetudini, dabo operam, ut maturos aliquot fœtus hujus ingenioli habeatis inprimis: Herculem nempe meum Aloxicacum, Hyperboreos, Paradiſum & Oceanum: niſi forte Scioli & invidi meis obſti-

terint

erint conatibus. Controversiam illam diuturnam sopitam jam tandem gaudeo, & reverendo D. Episcopo Gudbrando gratulor, cui etiam, si possim, [illegible] gratum aliquid fecero. Partem literarum tuarum exscriptā tradidi Magistris supplicum libellorum, quo fit, ut jam apud optimos quosq; nomen attagonistæ illius vestri foe[illegible]t. Postremò Stenoni Brahe gubernatori regni tuam causam ita commendavi, ut continuo Cragium præsidem ad se vocarit, eique significarit, te fundum eum petere: rogaritque ut de hac re à gubernatoribus compellatus, causæ tuæ quantum posset, commodaret, quod & ipse stipulata manu promisit, ipseque adeo supplicem tuum libellum gubernatorib: obtulit, honorifice te ipsis commendans: Quo nomine ipsi reverenter agas, gratias velim. Diploma ipse habet, quod tibi in manus tradat, quod petivisti, obtinuisti, sed nihil ultra, ita autē responderunt Domini Gubernatores, jam aliter, ea in re fieri non potuisse. Sed si propediem petieris vel ab ipsis, vel à Rege, ubi jam rerum potitus fuerit, haud difficulter obtineas fundum illum, ejusque usum fructum, absque omni expensa.

*Sed fide non stetit ille Cragius: conditiones aggravando.*

Nova quæ scribam hæc sunt: Academia eundem in modum habet, quo tum, quum à nobis discederes. Etiam ipsum regnum haud aliter.

Rex Scotiæ habet ex ANNA sua filium, Legatio Scotica ante dies quatuor accessit, cujus Princeps est nobilissimus & doctissimus Petrus Iunius. Rex Navarræ totâ fere Galliâ potitus est, etiam ipsis Parrhysiis. Christiani (Deo gratia) fœliciter pugnant adversus Turcam, & jam priorē Hungariæ partem recuperarunt, Sigismundus Poloniæ Rex superiore Martio solenniter

insi-

nsignia regni Suetici accepit: redibit in Poloniam gubernatione regni, Patruo Carolo relictâ. Hæc certissima sunt, neq; tempus suppetit plura scribere. Bene vale, & Reverendum Dominum Gudbrandum Episcopum vestrum ex me honorificè salutes oro. Denuo vale. Hafniâ 11. Die Maij, Anno clɔ. Iɔ. Lxxxxiv.

*T. T. Jon. Jac.*

## IIX.

## *NICOLAUS CRAGIUS, J.U. DOCT. & Profeß. Hafn. Reg. Majestatis Historicus & Legatus, &c.*

*Arngrimo Jonæ ISL:*

*S.*

1594. Rnatissime vir, amice dilectissime: Binas à te literas circa autumni tempus ex Scotia reversus accepi, quibus unis hisce meis respondeo.

Ago inprimis gratias, quod studium meum Episcopo vestro commendaris, cui ego ob præclara merita sua, quàm optime cupio. Et si usus mei hic aliquis esse poterit, meam operam habebit sibi ad quidvis paratam. Tum ego gratulor utrique vestrum, quod res cum judice tam fœliciter transacta sit: Episcopo quidem, quod adversarius tam ab amicis instructus calumnia eum non oppresserit: tibi verò, quod tam sedula tua cura, & sollicitudo non in irritum ceciderit. Quæ autem causa cepta erat, eam, ut spero Episcopus jam nullo negocio obtinebit, impetrato videlicet diplomate regio, quod

jubet

jubet præsidem cum dilectis 24. causas, ex appellatione cognoscere & dijudicare. Idque negotium, si rectè memini, judicasti etiam partim ad te pertinere, quippe qui jus aliquod hæreditatis haberes in prædiis istis controversis. Sed quæ inciderit difficultas quantumque periculum gratiæ quorundam amittendæ adierim, partim D. Godemannus ostendet: partim ego Episcopo perscripsi. Tuo negotio nec tum defuissem, nec jam defuturus eram, si me de statu ejus perspicuè certiorem fecisses. Sed quia Magister Jonas putabat, se tibi in ea re satisfacturum, verbo id saltem uno atque altero Secretario commendans, postea destiti. Quid is effecerit jam nescio, nec mihi ab eo sciscitari integrum, nam is super eo mecum communicavit nunquam, ego semel eum compellavi. Quod si autem mea opera uti voles, concipias libellum supplicem, quem per nostros remitte, tum experiaris me id acturum, ut in officio meo nihil amplius possis desiderare. Libellum meum de republic. Lacedæmoniorum si legere cupis, misi cum Episcopo vestro, missurus tibi fueram simul unum, sed Exemplaria jam deerant, nec ex nondinis Francofurtensibus libri adhuc advecti aliqui erant. Facio autem lubens, ut tibi sequenti æstate tum hac in re, tum aliis gratificer. Si quid à me postules, potes autem pro amicitia nostra postulare quidvis, nam quum plurimi te faciam, multumque debeam, haud committam, in ullo patiaris à me repulsam. Et si quæ inciderint vobis postea, non abs re fuerit, si mihi innotescant, ne vos traducant, & in pejus causam interpretentur, qui adversario vestro tantopere student. Sed utimini hic vestro judicio: ego vobis patrocinari vestrisque justis causis favere, si opus vobis

L est,

est, & in me est ut possim & lubens volo & haud invitus polliceor, me ubi occasio datur id facturum. Vale foeliciter ornatissime vir, & me: quod facis, ama. Dabantur Hafniæ. Calendis Maij, Anno clↄ. Iↄ. XCIV.

*T. Nic. Cr.*

IX.

## *DAVID CHYTRÆUS S. THEOL: Doctor & Profess: Rostoch: Arngrimo Jonæ ISL: S.*

Reverende & clarissime vir, amice colende. Lætor te, confectis & animi sententiâ in regno Daniæ negotiis, salvum & incolumem in patriam rediisse. Tibique gratiam habeo, quod memoriam amicitiæ inter nos coram inchoatæ, literis amantissimè scriptis testari dignatus es. Defensionem Islandiæ tuam cupidê legi, & pietatem patriæ, patrocinio erudito & facundo probatam, laudo. Optarim autem te, non solum in detergendis aliorum sordibus patriæ aspersis, sed integra & chorographica insulæ vestræ descriptione, & hostoriis Politicis ac Ecclesiasticis, aliisque ornamentis commemorandis, prolixius occupatum fuisse. Sed hæc deinceps, una cum libellis aliquot, vestræ gentis lingua excusis, si vivam, expectabo. Interea cum te in illa circulo arctico subjecta solitudine, mearum etiam pagellarum lectione delectari scribas: volumen aliquod prælectionum mearum mitto, & in Germania & vicino Galliæ regno & Ungaria præcipuè à Turcis infestata, quid superiore anno memorabile actum sit, ex pagellis adjun-

adjunctis cognoscendum impertio, & Ecclesiam & Scholam nostram Dei beneficio tranquillam esse indico. Me arthritis anniversaria mortis πρόδρομος καὶ προάγγελος lecto rursus affixum tenet. Itaque καιρὸν ἀναψύξεως καὶ ἀποκαταστάσεως πάντων,

O desiderio tempora longa meo,

avidè expecto. & quotidie precatiunculam repeto, χριστὲ θεὸς χρηστὸν δὸς βιότοιο τέλος. Bene vale. Die Gregorii, 12. Martii, Anno 1594.

*D. C.*

X.

## *M. JONAS JACOBUS WENUsinus; Arngrimo Jonæ Islando. S.*

CArmen tuum, ornatissime Arngrime, mihi perquam fuit gratum, Guldmundus autem rogatu meo verbum verbo reddidit, ex quo perspicio 1595. aliquo modo, quàm desciverit lingua nostra Gothica ab antiqua puritate. At verò, mi Arngrime, quod rependam, nihil in præsentiarum repperio. Promiseram quidem (fateor) lucubrationum & meditationum mearum Philologicarum, Philosophicarum, & Theologicarum etiam aliquot absoluta Progymnasmata. Verum livor ambitio omnibus honestis conatibus obstat. Ita jam comparatum est, ut, qui magnis crepant titulis, nihil approbent, nisi quod ex postillis vel Aristotele hauserunt: Si quis, quod secus habet, in medium proferat, continuò clamant, illam vel hanc sententiam non esse in Academiis receptam. Vide mi Arngrime, quantum

erſus; me | ri ritu ſcri- | endi.

poſſit τὸ ἀυτὸς ἔφα. Sanctè tibi juro, non eſſe, qui contradicat, vel contradicere poſſit. Tantum, cum ægrè ferant ſe non ſcire, poſſe, habere, facere omnia, non permittunt alios quicquam facere. Quos ego; ſed præſtat tenebris immergere noſtræ; Quicquid id eſt operæ, quam rebus pendimus iſtis, uſque novâ cælo dum ſurgat lampade Phœbus. De rebus noſtris & aliis novis nihil ſcribo, eo quod Guldmundus noſter de omnibus commodius vos edocere poſſit. Tibi autem clariſsime vir, operam meam defero promptiſſimam, quam experieris ubi res poſtulat. Vale & me ama, Salutatus ab uxore & omnibus noſtris. Hafniâ 14. Maij, Anno Chriſtianiſmo cIↃ IↃ VC,

*Tuus Jon: Venuſinus.*

## XI.

## DAVID CHYTRÆUS ARNGRIMO Jonæ Isl. S.

1595. REverende & doctiſſime vir, amice cariſſime, literas tuas 7. Auguſti anno ſuperiori, Midfordæ datas, Hamburgenſis tabellarius die Matthiæ 24. Februarij tandem mihi reddidit, cum totam hyemem Lubecæ latuiſſent. Lætor autem, non ingratum Reverendiſsimo Epiſcopo & tibi, meum ad te ſcribendi, & pagellas apud nos editas, præſertim hiſtoricas, mittendi officium fuiſſe. Adjunxi igitur, ſuperioris etiam 1594. Anni Chronicon & alias recentium hiſtoriarum narrationes. Quas lectu non ingratas nec injucundas futuras, ſine moleſtia & faſtidio à nobis perluſtratum iri confido. Hæc cum prolixæ Epiſtolæ loco mihi

mihi apud vos futuræ ſint: literarum brevitati ignoſces. Quod ſi me, donec reſcribendi facultas tibi dabitur, vivere Deus volet: Hamburgum literas ad M. Johannem Schelhamerum, Paſtorem Eccleſiæ D. Petri, vel ad Johannem Battum, civem prope templum D. Catharinæ habitantem mittito. Qui per certos homines ad me curabunt. Bene & feliciter vale, Die 26. Februarij natali meo, Anno 1595. Quo ann… aut paul… poſt deceſſ…

## XII.

## NICOLAUS CRAGIUS, J. U. D.
### Arngrimo Jonæ Isl: S.


Rnatiſsime vir, amice cariſsime, accepi literas tuas, quas ad me dediſti præterita æſtate, quum naves à nobis redierunt: Promiſit Huitfeldius, ſe quovis modo tuis rebus conſulturum; nec dubites, quin id lubens facturus ſit, quippe, qui te magnâ complectitur benevolentiâ. De monumentis hiſtoriarum, quæ inaudivi in Islandia apud quoſdam extare antiquarum familiarum, ſcripſi Epiſcopo veſtro, quem uti in ijs parandis, emendis, exponendis, tranſcribendis, meo impendio juves, majorem in modum à te contendo. Ego tuum in hac re ſtudium gubernatoribus commendabo, ut ſi poſthac quid petiturus ſis, facilius ſine repulſa impetres. Tua etiam, ne nobis deneges, ſive ad res veſtras, ſive noſtras pertineat. Fœliciſsime vale & nobiſcum per literas de omnibus communica ad te pertinentibus. Dabantur Hafniæ XII. Calendas Junij Anno cIↄ Iↄ XCV. 1595

*T. T. Nic. Crag.*

## XIII.

## *M. JONAS JACOBUS VENUSI-nus, Arngrimo Jonæ Isl: S.*

1596. DUlcissime D. Arngrime, Salve à me meisq; omnibus, tum verò pro dono illo delicato Scachtiorum nudas à me recipe gratias. Ecce cingulum tuum tibi jam diu elaboratum, ei ab artifice redimendo quantulumcunque requirebatur pecuniæ, subministrabam: nam Canutus ille, qui cum tibi commercium hactenus fuit, de die in diem solutionem differebat, nescio quid nugarum prætendens, Dominus Ottho Stephanus suâ mihi cavit Syngraphâ de solutione, ejus jam ad te mitto literas, ex quibus omnia planius cognosces.

Mitto etiam diploma regium, quod Godemanno Enero impetravi, juxtaque Cragii & meas ad ipsum literas, hæc ut ipsi in manus tradas, oro. Regiæ literæ quib. tibi demandatur, ut vicem D. Guldbrandi Episcopi jam deinceps expleas, consignatæ erant, & præsidi Boresteropæ inscriptæ, sed jam in hoc una cum Episcopo Vinstrupio sum totus, ut patentes habeas literas in genere omnibus præsidibus inscriptas, quas apud te serves, ita enim Ecclesiæ & tuis rebus expedire arbitrati sumus. Ea in re hospes meus Sigvartus Grubius operam suam mihi pollicitus est, Steno item Brahe & Arnoldus proreges. De fundo illo cujus usum fructum ex Compacto levas, bene te sperare jubeo, Dabo enim operam, ut commodissimis rationibus ipsum inprimis obtineas. Igitur ad me perscribe qua ratione, ut quàm maximè id expetas. Et tibi de me omnia pollicere, quæ quidem

quidem ab hac tenuitate proficisci possunt. Atque si quid mercium nostratium expetis, tantum id verbo mihi significa, & vale. Hafniæ 26. Aprilis Anno 1596.

*T. Jon. Jac. Venusin.*

## XIIII.

## *NICOLAVS CRAGIVS, J.V.D. ac Regni Dan. Historicus Arngrimo Jonæ. S.*

Clarissime & ornatissime vir, frater & amice observande: Binæ mihi superiore anno à te redditæ sunt literæ ejusdem ferè argumenti, ad quas paucis respondebo. Impetravi à gubernatoribus regni mandata ad Islandos vestros & seorsim ad te, de inquirendis & exhibendis historiarum monumentis, quæ apud vos extant. Subscripsere iis, qui aderant. Steno Brahe & Huitfeldius, uti vides. Nam Rosæcrantius extremo fato defunctus est; Pasbergius & Sefeldius in Jutiâ erant. Spero te jam aliquid operæ pretii allaturum, ut propositum nostrum adjutes. Chronicon illud Norvagicum, cujus postremis literis mentionem facis, nimis quam concisum & breve, præsertim initio, ubi de origine & propagatione gentium Septentrionalium agit. Quæcunque igitur haberi poterunt, vel de hisce, vel de regum historiis, cummunicari mihi cupio. Adjungas etiam Baronum & Comitum Hetlandiorum, Orcadensium, aliorumq; res gestas, ex quibus emendari & locupletari historię Norvagicæ possunt, utpote his immixtę. Nec cōtemnenda puto Apophthegmata & Scita magnorum

1596

rum

rum virorum: ut ſuo quæque loco in Hiſt: regum inſerantur, Horum omnium quam feciſti ſpem, ut præſtando ſuſtentes rogo. Potiſsimum verò in id elabores, ſi forte Danorum aliqua repperire erit, quæ vel cùm Norvagis, vel cum Scotis, aut etiam cum veſtratibus, Hetlandis, Orcadenſibus interceſſerunt. Feres id laboris præmium apud Sereniſſimum regem noſtrum & ampliſs: R: gubernatores, ut te ſuſceptæ moleſtiæ non pœniteat. Erit mihi occaſio ea commendandi, ſtudium & præclarum judicium tuum, quod tibi aditum ad majora patefaciet. Quamvis jam modò te deſtinari Atlantis illius veſtratis D. Gudbrandi, Herculem, ab Huitfeldio intellexi; ut non dubium ſit, ſumma te omnia à Ser: Rege & gubernatorib. ſperare poſſe. De me ſic ſtatuas velim, ſi ulla ratione facultas eſſet tibi gratificandi, probaturum me ita ſtudium & voluntatem, ut omnia ad votum effecta haberes, ſed noſti mores hominum noſtratium.

Si te huc accedere contigerit, uxor mea ſeorſim grata erit; Nam amicitia noſtra non patitur, ut tua benevolentia abutar, quam ego ſanctè colo., petoque tibi grata & accepta noſtra ſit; quod ego ſperans te ex animo valere jubebo. De coronatione Regis ad feſtum Laurentii audire poteris à noſtratibus. Si tum huc veneris, adfer tecum Biblia Islandica; Henricus Ranzovius ea petit, quem tibi patronum hoc munere parabis. Iterum vale.

Saluta D. Gudbrandum, cui â me & uxore fauſtiſſima omnia optantur.

Dabantur Hafniæ, 24. Aprilis Anno 1596.

*NICO-*

XV.

*NICOLAUS CRAGIUS, J.U.D. & Professor Acad. Hafn: Regni D. Historicus: Arng. Jon.*

*S.*

REverende & doctiſſime vir, amice cariſſime, gratiſſima mihi fuit opera tua, quam præſtitiſti in rebus hiſtoricis gentium noſtrarum ſeptentrionalium, & eam ſpero magno mihi adjumento futuram; Sive autem transfundantur in noſtram vernaculam, ſive in latinam, juxta æſtimo. Utrumque te præſtare poſſe non dubito, etiam cum laude, ſi tamen ea laus aliqua, noſtræ linguæ barbaræ eatenus gnarum eſſe, ut vertendo uti poſſis, mea ſententia fuit, noſtram linguā, quæ â veſtro Idiomate non abit ita longe, ferre melius poſſe, ut ad verbum interpretatio fiat; quod in latino ita eſſe nequit, Sed tuo judicio ſolertiæ & fidei id tribuimus, ut perinde habeamus, quomodocunq; vertantur. Id modò age, ut tum de Danicis reb⁹, tum de Norvagicis, Sueticis, & inprimis de veſtris certa & luculenta documēta habeamus. Omnes noſtros ſpes habet in veteri hiſtoriâ nuſquā certiora & veriora, quàm apud vos extare; propterea quæ Saxo de veſtris ſcripſit. Et ſuperſunt tum apud alios tum apud me libri M. S. in membrana veſtræ linguæ, qui fidem ei rei faciunt. De gentibus Septentrionalibus earumque ortu præcipuo, mihi ſemper aqua hæſit. Invenio in Scythis, Neuros, Gelonos, Budinos, Melanchlænos, multa habuiſſe communia in moribus cum Norvagis & vicinis Inſularibus. Invenio etiam οὕτως

M apud

apud Strabonem & Vitas latinè, quo nomine Juti nostri Anglicis Scriptoribus appellantur. Hinc ego de nostris reliquam conjecturam facio; quam tamen non evulgo, antequam à te & aliis doctis viris firmetur. In Geographicis etiam multa desidero; & de gentium migrationibus, quæ omnia ignorantiæ crassa caligine involuta. A te aliquam lucem expecto, quæ hanc discutiat. Et quæ fortassis videntur maxime fabulosa, huc aliquid conferre possunt, ut ipsi eruamus, quod verum est. Itaq; quicquid de his penes te est, feras tecum ad nos, ut ne Jota quidem tibi reserves, nisi autographa. De Baronibus vestris, quæ habes, & eorum regumque apophthegmatis, neque nobis pro tuo candore & sinceritate invideas, Nec particulares historias subtrahas, quæ sæpe aliquid peculiare præ reliquis habent. Sed vellem magnopere te hic præstò adesse, & omnia repræsentare, tua inprimis, sed & mea de causa; mihi enim volupe fuerit tecum de rebus his conferre; qui mihi videris antiquitates gentium Septentrionalium ita indagasse, ut majori studio nemo. Et possem à te rectissimè discere, an alicui rei sint libri M.S. quos apud me servo. Nec verò id abs re tua fuerit, ut autumno, qui studia tua hæc exhibendo probare proceribus poteris, ad quæ accedet mea diligentissima commendatio, si qua illa tibi prodesse valet. Si igitur tibi consultum vis, huc adnaviges. Arnoldus quidem Huitfeldius modò non in Dania, sed in Norvegiam abiit, ad audiendum querelas plebis, & dijudicandum causas; rediturus haud dubiè ante tuum adventum. Is omnia potest apud Dominum Valkendorffium, & Christianum Frisium, qui jam rebus præsunt, ad munus magistri Palatii ille evectus: hi Cancella-

cellarii. Ita obiter plæraque habes, quæ apud nos nova ſunt, de quibus prolixe audire poteris â noſtratibus, qui vos accedunt. Id addam tantùm, D. Slangendorpium diem obiiſſe initio huius anni, cui recens ſuffectus Reſenius. Ei ſuccedit M. Johannes Stephanus qui Ludimagiſtrum in Scholâ Sorenſi egit. Nam de M. Iſaaco, qui Epiſcopus eſt Nidroſienſis, credo te jam aliquid inaudiviſſe. In rebus noſtris nihil eſt novi, vel adverſi, Deo ſit gloria in æternum: & ut tibi omnia proſpera ſint, Deum & animo precor, cui te cum omnibus tuis commendo. Vale fœliciſſimè.

Dabantur Hafniæ, Nonis Maij, Anno 1597.

Si huc acceſſeris, indignè feram, ſi aliò, quam ad me diverteris. Niſi malis forte Epiſcopum hoſpitem. Ei enim uni cedo, feras tecum librorum aliquot veſtratium, qui à domino Gudbrando ſunt excuſi, cum ipſius ad cancellarium commendatione. Boni conſule, quod conſulo. Saluta D. Gudbrandum meis verbis, iterum vale, & nos viſe.

*Ex aſſe. T. Nic. Cragius.*

## XVI.

## *M. JONAS JACOBUS VENUSInus, Arngrimo Jonæ Isl: S.*

REverende & clariſſime vir. Quum ſaltem ſemel in ſingulos annos per literas colloqui liceat, non exiſtimavi amicitiæ noſtræ competere ſilentium, quod alias multas diremit amicitias. Scribo igitur non equidem quod te magnopere noſtro affici colloquio putem; Verùm, ne tu nos oblitos exiſtimes. 1597.

 Nihil

Nihil fere, quod ſcribam, novi ſuppetit, omnia enim apud nos conſueto fere ſunt modo, niſi quod Johannes Slangendorp: Theol: D. diem obierit, inq; ejus locum ſuffectus ſit Johan. Reſenius, prius logicæ Profeſſor, cui porro ſubſtitutus Johan. Stephanus Rector Regiæ Scholæ Sorenſis. M. Iſaacus Nidroſiæ Epiſcopus eſt, in ejus locum ſurrogatus eſt doctiſs: vir Johannes Canutius. Quomodo Tychonis Brahe res habeant, intelliges ex Jacobo noſtro. Cætera quæ orbem concernunt Chriſtianum, cognoſces ex narrationib: quas adjungo literis hiſce. Mitto etiam Chriſtiani II. vitam typis nuper exſcriptam. Friderici I. Res geſtæ brevi prodibunt: Eaſque prælo commiſſas proximo anno (ſi Deus vitæ & fortunæ pepercerit) mittam. Interim vive & vale, ſalutatus à conjuge mea. Quin & noſtri iſthic amantes ſaluta quàm officiociſſime. Hafniâ feſtinanter, ut liquet, XII. Maij Anno 1597.

*Rev: dignit: Tuæ addictiſſimus*
*Jonas Jacobus Venuſinus.*

Si fors etiamnum particula pellis canis marini ſuppetit, cujuſmodi proximè miſiſti, quæſo pauxillulum mihi communica; fruſtum enim illud, quod habebam, in multas diviſum particulas, inter amicos diſtraxi, ut mihi nihil jam reſervarim.

## XVII.

## *NICOLAUS CRAGIUS, J. U. D.*

*Arngrimo Jonæ Isl: S.*

ORnatiſs. vir, Domine & amice cariſs. De documentis hiſtoricis, tua induſtria collectis, ac mihi communicatis,

catis, quàm possim, maximas ago gratias. Exhibebo ea- u . nda Cancellario & Huitfeldio, ut fructū operæ tuæ referas. Id hactenus fieri non potuit, quia per hanc ferè hyemem domo absfui, in legatione Polonica: Quæ causa etiam fuit, quo minus expedire valuerim, quæ de fundo isto N: à me voluisti fieri. Curæ autem mihi erit, ut inprimis ad Regem, de tuo desiderio referatur: Et, si quid impetravero, mittam etiamnum Hamburgum literas: ac tum adjungam simul apocham, quam remitti cupis. Quod ad posteriores literas attinet; serò admodum eæ allatæ. Faciam igitur quod petivisti, &c. Et si quid præterea tibi gratum à me fieri poterit, summà cum voluntate omnia officia præstabo. Vale; Raptim Hafniæ, quatriduo post reditum ex Poloniâ, 8. Maij, 1598.

XVIII.

*Dn: SEBASTIANUS à BERGEN, LL. Licentiatus: ac inclytæ Reip. Hamburg: à Secretis: Arngrimo Jonæ S.*

—— Desiderantur aliqua.

PRæsertim unicè abs te rogo, ut in domum ac convictum tuum suscipias fratrem meum Hermannum van Bergen/ pro cujus alimentis egomet, per Joachimum Holsten, Thaleros vel probatiss. merces, exsolvi curabo. Quâ in parte, hoc commodi habebis. Primò domi tuæ Germanū vicinum, ac Hamburgensem Juvenē, ex honestiss. familia natum ales. Deinde æquum capies pro nutrimento pretium. Tertiò ipsemet Hermānus domui tuę, sua arte & opera tōsoris, inserviet. Quarto mihi bene merenti & bene merituro præstabitur

 hæc

hæc humanitas. Scripſi in eandem ſententiam Domino amico meo, Epiſcopo Holenſi: qui meam cauſam tibi æquè diligenter commendabit, ut tuam mihi, Aº ſuper. Excudetur hîc; de Islandia commentarius, & toti Germaniæ innoteſcet, ſumptib M. Davidis Wolderi, Typographi noſtratis, cum quo ſæpius & accuratè, hac de re contuli: ſi vultis, addite, adimite iſti Libro, quæ lubet: ſignificate: res probè curabitur à M. Woldero: Commendo vos divinæ tutelæ. Ocyus Hamburgo 2. Maij Anno 1598.

*Veſtræ Rev: Syncerus amicus N. &c.*

## XIX.

## *D. JOHANNES FREDERUS, &c. Arng: Jonæ S.*

REverende ac ornatiſs: vir, amice colende: ut quiſquis naturâ generoſior & probior eſt, ita diuturnius & fidelius veterem amicorum memoriam conſervat. Scis enim Iſocratem, hoc velut κριτηρίῳ: improbos à bonis & virtute præſtantibus ſecernere: quod illi amicos tantùm præſentes complectantur: hi verò longis etiam locorum & temporum intervallis diſſitos, amare non intermittant. Etſi igitur proximos jam annos, amicitiæ noſtræ fructu caruimus; tamen benevolentiam erga me tuam non extinctam eſſe confido. Quare, quum domeſticus meus Loptus Scapterus Islandus, in patriam profecturus eſſet, gratum mihi fuit, quod occaſionem renovandæ initæ inter nos amicitiæ adeptus eſſem.

Oro

Oro igitur, ut memoriam mei cum benevolentiâ conserves: & hunc conterraneum tuum tibi commendatum esse patiaris. Meus animus in te est, manebitque, quem tu esse vis, & qui esse debet. Benè vale. Rostoch: XII. April. M. DC.

XX.

*D. NICOLAUS THEOPHILUS, J.C. & Reg: aliquando Legatus, Arngrimo Jonæ Isl. S.*

Vigere apud te memoriam amicitiæ nostræ, & hærere tibi in animo; Vir optime idemq; mihi amicissime, Dn. Arngrime, minimè dubito: Apud me certè non est intermortua: idq; ut ipso facto ostendam, hæc ad te exarare volui, ut scires me & vivere & valere. Quod si intellexero, te quoque ea esse, quam tibi opto, valetudine & corporis robore, de eo certè plurimùm lætabor. Ego in hac quotidie magis ingravescente ætate mea, cum Musis meis, ad quas postliminio sum reversus, redeo in gratiam, occupationibus aulicis valere jussis, refectionibusque meis reliquis, penitus extinctis. Te quoque interdum aliquid studii & temporis, versibus scribendis tribuere, non dubito. Exerce te quæso, in eo studiorum genere, quod & patriæ universæ, & tibi quoque immortale nomen allaturum. De statu Academiæ & Ecclesiarum nostrarum, ab aliis quia edoceri potes, nihil nunc scribam. Omnia Dei beneficio, in his locis sunt tranquilla & pacata. In Imperio Romano comitia celebrabuntur, primo quoq; tempore: in quibus de bello adversus Turcas conti-

nuando: & de recipiendis Persis inter amicos & fœderatos deliberabitur. Persarum Rex potentiss. paratus est, suas conjungere vires cum Christianorum exercitu, ut communem hostem Turcam aggrediantur, & ejus vires toti terrarum orbi formidabiles frangant atque minuant. Sed hæc hactenus. Fratri tuo libenter operam, tua causa, meam polliceor: ejusque, ut omnium eorum, qui mihi tuo testimonio commendantur; studebo honoribus & commodis: & in iis tuendis efficiam, ut partes meas desiderare nemo possit. Tu de me hoc tibi persuadeas velim, nihil esse, quod tua causa, si modò possim, non faciam animo libentissimo, &c. [ & post pauca ] Catellum Islandicum, ubi commodè poteris, mittes: de quo te rogo. Habui hactenus lepidum illum quidem; sed rugis nunc obsitum & senio confectum:

Qui futurus est præda mox vel mylvio,
Turpivè cornicum gregi.

In hujus locum, ut habeam, quem substituam, & cum quo, in senectute meâ, quæ propinqua est, me oblectem;
Qui erectis modo cruribus, bipesque
Mensæ astabit herili, heroque ab ipso
Latratu tenero cibum petat, &c.
Tu operam dabis, &c.

Te cum omnibus bene valere & feliciter, ex animo cupio: & ut Reverendiss. Dn. Ottonem Episcopum vestrum, meo nomine, per occasionem salutes, usque mei memoriam cum benevolentiâ conservet, admoneas, etiam atque etiam, per Musas & Apollinem, & si his quid tibi carius esse poterit, oro. Iterum atque iterum vale. Deus tibi & tuis studiis benedicat; & te floren-

florentem omnib. fortunæ & corporis bonis, diu conser ..t. Hafniâ,&c. 17. April. Anno 1601.

*T. tuus Nic. Theoph.*

Porrò Catellus iste Island: eodem Anno missus, Epigrammate tetrasthico, à Dn.Doctore exceptus est. Tanta fuit, tanti viri humanitas.

XXI.

*PHILIPPUS NICOLAI, S.S.THEOlogiæ Doctor & Ecclesiastes Hamb: Arngrimo Jonæ Islando S.*

Literis tuis Reverende & Spectatissime vir, amice, & in Christo frater conjunctissime, Hafniâ 22. Decembris anno proximè evoluto, ad me datis, tuique erga me favoris & amoris testibus liquidissimis, jam pridem respondissem, modò per alias Ecclesiastici muneris mei occupationes laborésque varios licuisset, nec quovis tempore deessent, qui ab urbe nostra navigiis in Insulam vestram devehuntur. Percommodum verò accidit, ut Ecclesiæ Martinianæ apud Bergenses in Norvegia Pastor, vir ornatissimus Dn. Bartholdus, Lutheranus, negotiorum quorundam causa ad nos profectus, nudius tertius me compellaret, & inter cætera d rebus septentrionalibus commercioque Islandorum & Norvegianorum varia percontanti mihi responderet, si quid ad te perscribere vellem, facile se curaturum, ut ex Norvegiâ in Islandiam literæ transmittantur, & si quas ex Islandia mihi inscriptas, & ad se missas acceperit, ut 160.

ulæ huc ex Bergâ Metropoli, Hamburgum internunciis mercatoribus nostris deportentur: Gavisus sum intellecta hac commoditate, statimque ornatissime D. Arngrime Jona, illud tibi per literas significandum duxi, petens, ut quandocunque nonnihil Epistolarum ad me exarare placuerit, illas obsignatas, saltem oblata nautarum Norvegiam cogitantium occasione, Bergam ad ædes Pastoris Ecclesiæ Martinianæ transmittere velis, qui semper curabit, ut Hamburgum rectà deferantur. Scire autem discupio, num salvus ad vos redieris, & utrum à Rege potestas impetrata sit evulgandi politissimum illud opus, quod de Islandorum Repub. abs te elucubratum vidi. Studium meum & operam tibi polliceor omnem, in eo apud nos publicando, si visum fuerit huc transmittere librum, ut in Germania excudatur, nec dubito quin literatis omnibus gratissima sit ejus lectio futura. Mihi nunc certamen est cum Doctore Pierio Ecclesiaste Bremensi Calviniano, qui cum in nostrarum Ecclesiarum doctrinam calamum strinxerit, editoque in Saxonicos verbi ministros Examine, religionem suæ gentis non paucis refertam erroribus adstruere conatus sit, refutandum duxi, ne peste illa nobis vicina Hamburgenses nostri inficerentur. Ejus scripti à me adornati Exemplar ad te mitto, in quo meam de Exorcismo sententiam (de hac enim materia, quemadmodum & de imagine Dei, tecum per literas agi petis) significanter explicavi. De imagine Dei in commentario de omnipræsente Christo, capite tertio libri prioris, breviter, quod sentiam exposui, & fieri potest, ut uberius aliquando à me differatur. Oro autem mi Arngrime Jona, ut quemadmodum hactenus factitatum

est

reft, ita & deinceps doctrinæ cœlestis assertione, Musisque tuis suavsimis, & rei literariæ apud Islandos promotione, dilectam patriam tuam, ipsi circulo polari, nonnihil subjectam collustrare & exornare pergas; volupe mihi est, de doctrinâ Euangelii incorrupta artiumque humaniorum disciplinis in extremo septentrione regnantib⁹, & beneficio Hôlensis Typographicæ, facem publicam fulgore clarissimam ostendentibus, audire & cognoscere. Reverenter & officiose à me saluta virum clarisimum Dn. Gudbrandum, I. Horlacium vestræ diœceseos Episcopum reverendissimum, & consiliis cum ipso communicatis, enitere quæso (prout in nostro familiari colloquio mentionem quoq; factam memini) ut Holensis urbeculæ (sic enim locum appellare libet) picturam & totius Episcopatus delineationem topographicã cum ejus Ecclesiis, lacubus, fluviis, montib. &c. tabellâ chartaceâ compræhensam a vobis inde consequar, operam ego dabo, ut Theatro Geographico typis elegantissimis ad vivum expressa inseratur, addita nominum vestrorum honorifica mentione, nec dubito, quin desideratissimo hoc opere, quemadmodum & aliis lucubrationibus utilissimis, post fata suprema, æternæ vos consecraturi sitis posteritati. Saluta & omnes tuos in ædificando & prolatando Christi regno Symmistas. Saluta conjugem ac liberos suavissimos. Resalutat te Conjux mea, petitq; ut si contigerit tibi aliquando ad nos redire, Conjugem tuam unà adducere velis. Quod super est, Deum precor, ut te cum omnibus tuis, omnesque apud Islandos, in vineâ Domini fideles operarios, quàm diutissimè ad nominis sui gloriam & Regni cœlestis incrementum salvos & incolum

esse velit. Dabantur HAMBURGI, 9. Junij Anno 1603.

*Reverentiæ tuæ in Servatore Jesu addictißimus frater*

*Philip. Nicol.*

## XXII.

## *DOCTOR PHILIPPUS NICOLAI, &c. Arngrimo Jonæ Isl: S.*

1606. D literas tuas, Reverende & Spectatissime vir, amice & in Christo frater plurimum colende, ante biennium huc datas tardius respõdeo, non tam mea, quàm nautarum culpâ, qui me ignorante citius, quàm putabam, anno superiore hinc in Islandiam vela dederunt: Lætor autem de amabili nostrâ animorum conjunctione in Deo, & consensione in fide orthodoxâ, Deumque precor ex animo, ut suo nos Spiritu gubernet quo semper unum in ipso simus unionemque hanc arctissimo sanctæ charitatis vinculo constringat, ne dissolvatur unquam, sed in futuram usque æternæ beatitudinis vitam salva & illibata permaneat. Cæterum Crymogæa tua rerum Islandicarum libros tres complectens, ex Dania ante tres Menses primum huc perlata est, quam statim Typographis nostris excudendam tradidissem, nisi aliis tractatibus inprimendis hactenus distinerentur. Pollicitus autem est mihi Philippus ab Ohr, typis suis eam materiam descripturum sese, & sumptus facturum, modò ab ipso exemplaria centum vel ducentena coëmere velis

velis, quæ pro tuo arbitratu per Islandiam distrahe[...] rursus divendere possis. Conqueritur enim de long[...] temporum mora, quæ reliquis exemplaribus per Germaniam & vicina Regna dispergendis impendenda sit, antequam sumptus recolligat, & quid lucri sperare queat: proinde quid tibi videatur, me per literas edoceto. Interim datâ occasione Magdeburgum quoque vel Witebergam vel Francofurtum ad amicos scribam, periculum facturus, an istis in urbibus Typographum nanciscar, qui posthabita dilatione librum prælo subjiciat, & primo tempore divulget. Præfationem ego lubens addam, eritque mihi volupe gentis Islandicæ cum Germanis cognitionem, piis lectoribus exponere, & amplissimam Arctoæ plagæ insulam istam ab orthodoxa relligione, pietatis studio, artiumque liberalium & humaniorum cultura commendare. Adjiciam & Epigramma illud, ut petis, quod codicillis tuis præfixi. Sed cum ejus exemplo destituar, oro ut descriptum ad me mittas. Optarem sanè topographicam Holensis Episcopatus delineationem ipsiusque urbeculæ Holensis qualemcunq; picturam mihi communicari posse, quam ego eleganter tractatui tuo, nec nō publico orbis terræ Geographico Theatro inseri curarem. Mihi certamen adhuc est publicum cum Calvinianis; & deinceps fortè in Jesuitas quoque & novos Arrianos, per Lituaniam, & Poloniam & Transylvaniam, Zizania sua disseminantes, quorundam piorum crebro hortatu stringendus erit calamus. Interim eorum, quæ a tempore discessus tui, à me evulgata sunt, exemplaria quædam ad te mitto, fraternè petens, ut ea Symbolum & testimonium mei in te amoris esse sinas. Porrò sis fortis in

*Id n[...]*
*præ[...]*
*no[...]*

mino & exuſcita donum quod in te eſt. Attende gregi Dominico, cui te animarum Paſtorē Jehova Deus præfecit, unaque cum Epiſcopo Holenſi reverendiſſimo & inclyto cave, & excubias agito, ne & Islandiam veſtram aliqua hæreſis turbet. Saluta reverenter & officiosè meo nomine omnes pios & ſynceros Euangeliſtas. Reſalutat reverentiam tuam, ejuſque conjugem dilectam peramanter conjux mea. Quod ſupereſt, divinæ protectioni te, tuosque, & vos omnes commendo. Scripſi Hamburgi 21. Maij, Anno 1606.

Cum gravi morbo ante biennium te conflictatum ex literis eo tempore ad me exaratis intelligo: quamobrem de valetudine tua, & utrum plenè revalveris, edoceri peto. Sit Dominus Jeſus fortitudo tua, & robur tuum ex hoc nunc & uſque in ſeculum: Præterea & illud cognoſcere aveo, quænam ſit ratio Liturgiæ veſtræ Eccleſiaſticæ, quis modus cantilenarum, quis ordo concionum, qui ritus in Baptiſmi & cœnæ Dominicæ adminiſtratione uſitati: breviter illa ſi conſignari poſſent, & mihi communicari, res foret longè gratiſſima. Iterum in Domino vale.

*Tuus in Domino frater, ſyncerus*
*& amicus ex animo*
*Philippus Nicolai D.*

XXIII.

*DOCT. PHILIPP. NICOLAI, &c.*
*Arngrimo Jonæ Isl: S.*

7. EX Literis tuis Reverende & ſpectatiſſime Domine Paſtor, amice & frater in Chriſto cōjunctiſſime, āno ſupe-

superiore ad me datis, te valetudini corporis non dum integrè, sed ex parte restitutum cognovi. Faxit Deus, ut nova jam meliora percipiam: Vivimus & valemus ego & mei per Dei gratiam adhuc omnes. Sæpius autem literas dedissem ad te, & darem, si quolibet anni tempore classis in Islandiam vela datura obveniret, & tanto locorum interstitio non divelleremur. Interim tamen lætor de nostrâ animorum conjunctione in fide syncera, spe, charitate, & spiritu sancto; quem oro, ut dona sua in te ubertim collata confirmet & adaugeat, quò labores & conatus tui, ad gloriam æterni Jehovæ, regnique cœlestis incrementum & animarum complurium salutem redundent.

Typographus noster Philippus ab Ohr, hyeme præterita & in hoc usque tempus gravi morbo decubuit, à quo nonnihil revalascens Typicam Crymogææ tuæ doctissimæ descriptionem, nunc primum auspicatus est; Octernionem ejus impressum mitto, ut qua forma proditurus sit liber, inde cognoscas. Urgebo autem sedulo Typographum, quo laborem inchoatum maturet & ad finem perducat, addamq; ut promisi, præfationem, quæ de Germanicarum gentium & septentrionalium populorum cognatione, ex unà omnium linguâ, variis tantùm dialectis interruptâ nonnihil commentabor, nostrique familiaris colloquii ante quadriennium habiti, nec non Orthodoxæ pietatis Islandorum & virtutum optimarũ, quibus sese commendant, mentionem faciam.

Mea contra Picrium refutatio subjacet adhuc prælo; nec emergere hactenus potuit, per longam corporis ægritudinem, qua laboravit Typographus. Inte[...]

Præfat[...] istam[...] cla[...] vir [...] in [...] le[...] p[...] no[...] e[...] ne[...] bell[...] conc[...] ob ill[...]

tamen Synopſin prolixæ diſpuationis de omnipræſente Chriſto à me collectam, una cum concione (quam anno præterito coram principe vidua Luneburgenſi vocatus habui) Typis ſuis deſcripſit, cujus utriuſque tractatus Exemplar à duo tranſmitto, æqui boniq́ue iſta conſuli petens.

Pacem urgent Calviniomanitæ noſtri in Imperio Romano, ſcriptumq́ue promulgarunt, quo ſuam nobis fraternitatē offerunt, ea lege, ut ipſis ſua & nobis noſtra religione ſublatis contentionibus frui liceat, & ut unanimiter in Pontifices calamum ſtringamus. Animadvertunt nimirum aſtutæ vulpeculæ ſudibus præacutis ſeſe (quibus proprias manus perforant) inniti, & adverſus noſtratium Eccleſiarum doctrinam incaſſum belligerare. Objicimus autē illis argumenta Turcarum & Arianorum fundata principiis Cinglianis, ad quæ cum planè obmuteſcānt, ſuæq; religionis jugulum iſtis peti ſubodorentur, nunc altercationis rigore depoſito, manſuetudinem angelicam ſimulant & blandis obſecrationibus, tanquam muliebri ploratu de pace & fraternitate nos ſollicitant. Oppoſui autem deceptrici iſtorum fiſtulæ dignum reſponſum, quod & ipſum adhuc Typographus ſub manu habet, nec ante menſis ſpatium laborem abſolvere poteſt, cujus alioquin exemplar lubens tranſmiſiſſem. Cæterum in primo octernione [ edendæ Crymogææ ] errata Typographica unum & alterum commiſſa video, quæ ad calcem libri corrigentur. Et agam ipſe inſpectorem deinceps, quo reliqui octerniones ( cum excuduntur ) à mendis ſint immunes. Nova apud nos varia. Carolus Suedonum [illegible] nunc Regis titulo ſalutatur. Polonia diſcordib: armis

armis laborat Moscovia fertur eodem conflicta Quia & Tartari Chersonnesum Tauricam incole diffident. Hispanus & Batavi inducias octo men sunt pacti. Crescit Persarum victoria de Turcis & C stantinopolis trepidare & obsidionem metuere dici Nutat adhuc pax in Ungaria nec dum plane stabilis apparet. Urbis nostræ Legati in Hispaniam ad regem profecti magnificè & regaliter ab ipso tractari perhibentur. Bellum inter Pontificem Romanum & Venetos coortum, intercessione Regis Hispani & quorundam Cardinalium consopitum fertur: Num ex animo in gratiam redierint eventus docebit, Vereor ne Scorpius sit in recessu.

Rex Galliarum Jesuitas, superioribus annis Reg suo proturbatos & ejectos nunc rursus admittit. An stragem urbium, pagorum, hominumq; & jumento magnam & irreparabilem ab Oceani diluvio sustin Conventus procerum Imperii, Comitiis futuro Julio Ratisbonæ celebrandis agetur: quo fine, satis constat; opinio est electum iri rege Imperii.

Auspiciis & mandato Regis Danorum, ante bien & anno superiore, vela data sunt in Gronlandiam ducti inde nonnulli ex ejus terræ incolis, inque Dani transportati. Jam quæ ratio vel qui cursus sint taliu navigationum, an iterum a Rege classis eo sit missa, nih certi, quod scribam, habeo, Vicinior est Islandia vestra Gronlandiæ, putoque apud vos citius, quam hac in urbe de novis istis constare: Quo circa peto, ut si quæ sint ejus generis nova, literis tuis mihi communices.

Sæpe topographiam Islandicarum regio

cumfero, ſumque mente vobiſcum haud ſecus, præſens montes, valles, flumina, lacus, Holenſem ſiam, habitationes diſtinctas, populumque Chriſtum Inſulæ eſtræ, nec non reverendiſſimum Dom. copum Gudbrandum, & te, tuosq; in regno Chriſti Symmiſtas, itemque ritus & ſacra veſtra oculis meis viderem & præſenti veſtro colloquio alloquioq; fruerer. Sed cum per magnam locorum diſtantiam id fieri nequeat, literarum commercio mutuo acquieſcamus, oportet. Salutamus reverentiam tuam, ejuſque conjugem liberos & familiam, ego & conjux mea peramanter. Salutentur à me omnes (quos familiariter notos habes) animarum Paſtores ſynceri, fratres & cooperarii ſtri in vinea Domini. Vale in Servatore Jeſu, cujus inæ protectioni te tuosque omnes, unâ cum Revediſſimo Dn. Epiſcopo (ad quem & ipſum literas dedi) bus aſſiduis commendo. Perſcriptum Hamburgi, unii Anno 1607.

*Tuus ex animo*

*Philippus Nicolai D.*

## XXIV.

## DOCT. PHILIPP. NICOLAI, &c.
### *Arngrimo Jonæ Isl. S.*

EX literis tuis ſuperiore anno ad me datis, Reverende & ſpectatiſſime vir, amice & frater in Chriſto perchare, te nondum plenè revaluiſſe ellexi. Utinam nunc tandem Rever. tuam integræ divinitus reſtitutam audire & cognoſcere liceat.

liceat. Certè in illo Septentrion[illegible]
Christo colligi, & animarum Pastores synceros
qui summa cum laude & uberrimo cum fructu m[illegible]
regni cœlestis sibi concredita administrent, & p[illegible]
etiā monumentis per orbem Christianum innote[illegible]
pro miraculo duco. Quo nomine, mi optatissim[illegible]
Arngrime, tibi gratulor plurimum, Deumque precor,
ut cum omnibus tuis in Christo per totam Islandiam
συνεργοῖς, ita dilectissimam patriam beatifica Euangelii
synceri annunciatione collustres, simulque scriptis
publicis Ecclesiæ inservias, quo coruscus eorum fulgor
ex celeberrima ista Arctoi circuli insula in Germani[illegible]
nostram & Europam universam redundet. Ego e[illegible]
quæ ad commendationem gentis vestræ Germanis no
stris (cum quibus ejusdem est originis, & ejusdem q[illegible]
dammodo linguæ) admodum cognatæ, Ecclesiar[illegible]
suppolarium commendationem facere videntu[illegible]
tempore publicis monumentis ita deprædicabo [illegible]
telligat Ecclesia Christi synceri amoris & ar[illegible]
necessitudinis vinculum, mihi cum vobis omnib[illegible]
Domino Jesu intercedere, firmum, constans, & n[illegible]
hoc tantum, verum adspirante Dei gratia etiam in altero
seculo (ubi læti ante faciem Jehovæ æterni convene-
rimus) in omnem æternitatem permansurum: Porro
Crymogæam tuam quod attinet, cum ejus primum
octernionem valde mendosum ab operariis Typo[illegible]
phicis excusum viderem, & ex literis tuis intelligere[illegible]
objeci hoc Typographo, sedulaque instigatione hor[illegible]
tor fui, ut recuderet, & amendis repurgatum daret.
Annuit postulato, maluitque tum adductis rationibu[illegible]
(quod videret interserendas Genealogias[illegible]

... cribere, sperans non hoc re-c-
... uæ duplicicurum. Sed ecce sex vel septem qua-
... nibus vix absolutis, lethali corripitur morbo &
... ncedit. Relicta vidua in luctu posita operarios
omnes dimittit & de venditione Typorum cogi-
... ic turbatâ domo nullus fit operum progressus, ne-
gligiturque tam mea contra Pierium refutatio (quæ
propemodū quatuor alphabetorum quaterniones com-
plectitur) quàm tua Crymogæa. Post multas septima-
nas, & satis longi temporis intervallum, cum ex voto sa-
tis commodè vidua Typos divendere non posset, hor-
tator illi fui, ut conductis operariis ad intermissos labo-
... rediret, satius enim esse præla usurpari, quam illorum
cassatione commodo obstare proprio. Sic tandem ad
... hoatam operum telam reventum est, pro ut ipsa vi-
... literis suis procul dubio edocebit. Non verò desi-
... urgere Typographos operarios, ut utriusque no-
... scripta demum absolvant & ad finem perducant.
... ps verò cum Jesuitis quoque literarium mihi erit
... m, cum satis desultoriè in arenam me provocent.
... it mihi ante paucas hebdomadas Doct. Samuel Hu-
berus, assertor universalis electionis omnium hominum
ad salutem, quo nomine antagonistas habuit Theologos
Witebergenses & Tubingenses. Petit à me, ut tentatâ
inter partes litigantes reconciliatione de componendo
... dissidio cogitare velim. Declarat mentem suam,
quod nolit admodum phrasin universalis electionis ur-
... re, modò concedamus omnes homines positos ordi-
natos & constitutos esse, ut Christum omnibus ad salu-
tem præordinatum audiant, & omnes vitam æternam
... hendant. Re totâ ego Theologis Wite-
bergen-

bergenſibus, Roſtochi-
expoſita, reſponſum n
quis eventus rei futurus
Nova jam hic nulla, niſi de
diſsimum Dominum Erig
gyrici mei in novam Gie
non reſponſi ad pacc a
tam. Quod reliquum
mino Jeſu frater, a con on
officioſe ſalutatum, cu
que tuis divinæ protec y
& incolumem commer
Maij. Anno 1608.

*Reve en*
*Chr*



*reinc.re... atem: Sic ... pographiam: sic huma-... sic Ecclesias orthodoxas ea in Insula*

...ul medio sub sole; Papalibus umbris
t Gogicis mersi noctibus; ite procul.
... recipit Crymotania lucem
...n C... ...ogma salutis habens.
Sic v ce m... ... trio lucet: at Auster
Caligat: ... olit: ille Deum.

*Reverendo & ornatissimo viro Dn. Arngrimo Iona, nato Islando, &c. fratri in Christo, amoris ergo, hoc μνημόσυνον communicavit Philippus Nic... S... ... 23. Octob. 1602. Hamburg.*

XIX.

Mens generosa ultra polos

*Amicæ recordationis causa, Hafn. scrib. Thomas Finck. Math. Professor. An. M. D. XCIII. Mense Majo.*

XX.

*Non omnes mihi probantur, ... ego omnibus.*

Andreas Cragius
[*Medicus & Professor Hafn.*]
*scrips. XX. Maj. Hafn. An. XCIII.*

Veritas od... ...
...ano inu...
...ia si perd... Carmin... *... re*
...s, adim... *eris.*
*... semel amissa, ... nullis*
...rus Ovidius Holsatus,
... *Helsingoræ*]

XXII.

Virescit vulnere virtus.

*Gudbrandus Thorlacius, amoris & amicitiæ causa scrib. 20. Iul. 1597.*

XXIII.

Alphonsus.

*Majorum imagines ad virtutem alliciunt. Sine labore & periculo nemo adhuc gloriā assecutus est.*

Martinus Ludovicus, â Remchingen, Tectosagus, scrib. Lubecæ, Cal. Octob. An. M.D.XCII.

Κρυ-

...u, nimis late
frequentius
& impune? veritatem
mè dicta & facta, pessim
tère & traducere: chari
& Juda, sed perniciem
Antichristum vivere?
dignum virtute efficiunt
conatus, quàm ut in illi
& saxa rudia, virori
thoritas naufragium
quilibet hujus, aliâs fat
nori gignit numero, q.
vir bonus & virtutis am
clari nominis & ver
polliceatur? Nemo
hoc speret: Nec id
grime, nimium turber
emissariis acrius infesteris, & gi
dacem reportes obtrectatione
mnia; præter æmulorum inten
strior efficitur, quæ nunquam
que vera est, a vitiis impetitur
stata emicat; ut Rosa inter Sp
miles & viles invadit hos vitium
prita inredit, summa petit & sum
stante: Intuere absolutum omn
Jesum Christum, cujus sanctissim
ratis Judæis variè corrupta fu
amicis mera fingebatur: hyp
vidi Ammonitarum regem, in Iu

nos exemplu
deoque ipsa
m nostr R. Dn. Epi
quibus non calumniis
diffamatus fuerat, vir
is conferendus? Inve
qui ejus officinam typo
labore & sumptu gloriæ
servire sedulo pergit,
quæstus. Quid? vix
non sit in re aliqua ab
orum ergo, qui talia pass
mediocris est gloria, nec
omnes Cordatos: Pro
idam ait, pro Eremo
lim invenias, qui tuis
tuis intelligo; nec in
ti siquidem viri summi,
recalcitrantes experti sunt eos,
m labore, fide & dexteritate in-
n ignoramus prisca & recentia
et fatear, satis esse molestum,
imus est firmandus, ne constan-
ltis velle benefacere, & nullam
udinem, inconsideratissimum est.
tibi erigat, quòd omnes synceri
saltem has esse strophas, ipseq;
forte aur m, fidem tamen nul-
ebit nugis, sed revera, ut pius
ingenia hominum tam prona
n in aliorum perniciem, hominesque

periam: omnino mihi persua
esse, nisi manifestus sit hostis, qu
bonis omnibus amandum senen
velit aut expetat, imò ver
esse votum, ut Deus Optimu
vum superstitemque vel
lixissimam ætatem con
perfidiæ, inhumanit
motiorem, & ultra;
tione, fide denique &
æstimationem D: no
nicato auxilio, superior

Tu igitur clarissimæ
hæc fulmina, non exu
rini nec Philosophica
Christiana constantia
semper proficient d
jectus, restinguitur;
sicut scripsit Cicero

Cæterum, ut
ferendo, non invites
non comparent sibi n
insolentiores evadant
quid faciendum & dice

De D. Hieronymo alic
probè ipsi oblatratum esset,
acriori pensatione obrutos &
metuerint, quàm oderint. Co
virille, quod vulgò dicimus.

rire, officiet, mod... o exposti
, amarulentior apologia proxima
esse; quod optes aut expectes, ac-
los., cum probè norint arun-
ec etiam ignoras Calumniæ
tela mittere venenata, &
ur abs re fuerit, si illis, qui
tra Christianam con-
itatem, bono tuo no-
gere, RECIPE pro-
minuto oleo misceas
aplasmate eosdem exci-
ναπίζειν contingat, parum
inquam, meditandam
bertate, quod tua eru-
stabunt, quæq; honori
pendunter. Quod si
ones molesti esse per-
, opinione citius cor-
... tempora, quando
, nisi seriâ pœnitentiâ
us largiatur. Sed quid
me, sus Minervam, fa-
obsecro, summus ille &
esus Christus, qui omnes
aniosos invasores abomina-
e, ut validissimo Patrono, ad-
hostes & adversarios, toto
n Domino vale, vir clarissime

 Dn.

. Præ cep o
udine, apud me
iscipulum, æqua
tatues, Iterum v



ECEPTORI
niæ perlegens
elapſus eſt
o.

Apologia.

cæli, ſecurus

iſta vult ATTRITIO
LUMNIÆ?
in te concitat
e?
Patria,
rem
is, algidâ

integritas;
m.
tus omnium
ora
us novenus ſuſpicit,
ximis.

Cu

*A*

*H*

*Quicunq*

*D*

*Sed littus unco perfe*

*Saxumq; volv*

*Nam veritas hæc b*

*Dispellit ex p*

*Ut aridum littum,*

*Conjunxit in*

*Tuaq; laus refulge*

*Supra jubar*


*Quæ te vacare fr*

*vel silente*

*Consentiunt q*

*Synceriores*

125


(120)

